John Carter Brown
Library
Brown University

1771
28. E
2

VIRORVM ILLVSTRIVM
EX ORDINE EREMITARVM
D. AVGVSTINI
ELOGIA
CVM SINGVLORVM
EXPRESSIS AD VIVVM
ICONIBVS.
AVCTORE
F. CORNELIO CVRTIO
EIVSDEM ORD. HISTORIOGRAPHO
DIFFINITORE GENERALI.
ANTVERPIÆ
APVD IOANNEM CNOBBARVM
ꝏ. IↃ C. XXXVI.
Cum priuilegio Regis Catholici.
C. Galle fe.

RP/UC

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO,

DOMINO

D. LVDOVICO CLARISSÆO,

EQVITI,

TOPARCHÆ DE BECKEZEEL, DILBEKE, &c.

VRBIS ANTVERPIENSIS

PRÆTORI

CIVILI,

Lub. Mer. Dedico, Conſecroq;.

ECOLE SAINTE GENEVIEVE B.D.P.

AMPLISSIME DOMINE,

EREMVM, commune ferarum & latronum ſtabulum, adeò non horruerunt olim viri ſancti, ut ipſo etiam experimento didicerint, vitam in eâ tutiùs agi, quàm in aulis Regum, inter hominum monſtra, & animarum latro-

nes. Nihil eſt, quòd exempla hîc multa congeram ad veritatem hanc firmandam; quæ nullibi non obvia ſunt, & flagritribæ in ſcholis pueri ad ferulam memoriter meminerunt. Ecce ſolidum ſatis in ſolis EREMITIS præſidium, quos S. Pater AVGVSTINVS, monachus adhuc, * ante presbyteratum, inſtituit: qui latebris ſilvarum abditi, non priùs exiverunt, quàm à cælo moniti Pontifices * Innocentius & Alexander IV. eos educerent, & non ſolis ſibi, ſed aliis quoque vivere juberent. Et verò locum hi mutare potuerunt; animum non item. Nam qui altas jam radices egerat, perennavit in omnibus amor priſtinæ ἀναχωρήσεως: ut cùm in urbibus degerent, nomen tamen EREMITARVM non deponerent; & qui magna virtutum ſpecimina paſſim ederent, latêre tamen amarent, & vulgo ignorari.

* *Baron. Annal. tom. 4. an. 391. n. 24.*

* *Anton. part. 3. tit. 24. cap. 14. §. 3. & 6.*

Quæ

Quæ modeſtia, veluti eremitis hæreditaria tam pertinaciter hærere viſa eſt in nepotibus; ut avorum ſuorum encomia evulgare, religioni ferè duxerint: quaſi ſupervacaneum foret memoriam eorum perituris chartis commendare, quorum nomina relata jam eſſent in faſtos æternitatis. Eam verò religionem ego hîc exuo, AVGVSTINIANOSq́;, qui parum decoro ſilentio nimiùm diu latuerunt, ex EREMI ſuæ latebris in apertum protraho, vivamq́; eorum effigiem artificis cælo, meo calamo virtutes omnibus repræſento. Et imprimis illos Tibi Vir Clariſsime, LVDOVICE CLARISSE, oblatum eo; pro beneficiis, quæ à liberali manu Tuâ nuper accepi maxima, parvum aliquod redhoſtimentum. Vidi, & reapſe expertus ſum adfectum erga me Tuum multò luculentiſsimum:

quidni ego coner vicem reponere, & oſtendere grati animi amicum ſymbolum? Non texam hîc bonorũ, quæ benigna in Te fortuna pleno cornu effudit, longum catalogum; quia palpari nunquam didici: Virtutum quoque Tuarum inſignem periodum addere vereor, ne lædam animi Tui pænè religioſam modeſtiam. Et ſatis famigeratum eſt CLARISSIORVM nomen apud Belgas; ut meâ buccinâ non indigeat. Hoc tantummodò volo extare gratitudinis monumentũ: ut cognoſcant omnes CVRTIVM ſcire beneficiũ accipere, &, cùm non poſſet, ſaltem voluiſſe, reddere. Vale Vir præſtantiſsime. Dedi tumultuario calamo, in itinere Romano, apud Vbios, XII. Kal. Februarii, ∞. Ɔc. XXXVI.

Amplitudini Tuæ

addictus,

F. Cornelius Curtius.

LECTORI MEO.

NE falsus sies, benevole Lector, brevi proloquio affari Te libet, & monere pauca quædam. Primùm non dare nos hîc Viros, qui in Eremo Augustinianâ sanctæ vitæ gloriâ eminuerunt: non enim Nicolaum *hîc* Tollentinatem *vides, non legis* Ioannem-Bonum Mantuanum, *non* Fridericum Ratisponensem, *aut* Isaiam Cracovienſem, *aliósve, quorum vitam singulari volumine aliquando complecti meditamur. Tantùm ergo eorum hîc elogia scribimus, qui inter Augustinianos doctrinâ & rerum gestarum magnitudine illustres, in ora virûm etiam à morte venire meruerunt. Neque horum omnium: sed aliquorum duntaxat ex plurimis; scilicet, quorum vera effigies haberi potuit. Sed nec*

istorum

istorum omnino omnium: sed illorum tantum-modò, quos Eremitas Augustinianos fuisse apud omnes in confesso est. Nam Gelasium *Papam,* Amadæum Sabaudum, Paullinum Nolanum, Fulgentium Ruspensem, *aliosq; quos multis & longis argumentis Scriptores nostri in Augustinianam Eremum reduxerunt, nolo memorare, & actum agere; aut in certâ historiâ multa utilia negligendo, ad futilia stilum stringere. Satis materiæ in novitiis est: quos à se clarissimos tenebris damnamus, dum in antiquitatis tenebris nequidquam lucem quærimus. Video à nobis nihil addi posse ad vetera; quæ dum novis commentis interpolare studemus, illos quorum recentem adhuc memoriam habemus, negligimus, & steriles tantùm de iis apud posteros conjecturas relinquimus. Vt ne nescias quoque, unde vera hæ effigies petitæ sunt: pleraſq; omnes Româ accepimus; ex bibliothecâ Angelicâ*

gelicâ AVGVSTINVM. Paucas ſubmiſit Salamantica, cùm poſſet plurimas: &, utinam elogiorum materiam, quam habent longè ampliſſimam, rogati Patres Hiſpani in tempore ſuppeditaſſent! Puteanum Pariſienſibus debemus. Belgæ è noſtrâ pinacothecâ ſunt. Germanorum nulla in hoc libro effigies eſt: quod magnorum virorum illa ferax olim regio, inteſtinis ob religionis certamen diſſidiis pronuper turbata, nunc Vandalorum manibus funditùs penè everſa, ne quidem imagines ſuorum tutari potuerit. Veniam nobis dabunt aliæ provinciæ, quæ ſuos viros, quos celebres habent, non reperient. Prodromus hic tantùm liber eſt, & ad eliciendas aliorum effigies, quoddam invitamentum. Non arridebit omnibus, ſcio, opella hæc noſtra; cujus ſeverum Ariſtarchum volet ille etiam agere, qui nihil poteſt agere. Invidiæ ſeges hodie uberrima eſt. Alius damnabit librum, cujus tantum pretium eſt ab

iconibus, quas puerorum oblectamina nuncupabit. alius levi digito volutabit aliquam multa folia, & præteritis elogiis tantùm

Picturâ se pascet inani.

Alius denique aliquis erit ex eorum colluvio, qui convitium aliis facere pro cibo habent, & antè quàm seriò inspexerit, contemnet omnia, & parva esse dicet. At verò, ô Zoile, qualia qualia hæc sunt, meo illa nomine provulgare non erubui. Tibi autem,

Εἰ μιχρὰ ταῦτα, οὐ τέλει τὰ μείζονα.

ego tollam manum de tabulâ, & meliori Apelli herbam lubens porrigam.

REV.

REV.do IN CHRISTO PATRI

CORNELIO CVRTIO

EREMITÆ AVGVSTINIANO

ILLVSTRIVM VIRORVM SVI ORDINIS

ELOGIA

PVBLICANTI.

HOC quoque jam noſtris veneranda Colonia votis
(Dum fugio patriæ contagia triſtia terræ)
Addidit, ut cujus toties monumenta relegi
Divino formata ſtilo, mentiſq; vigore
Plena, nec ætatis ſeræ ſubitura ſenectam;
Aſpicerem faciem, coramque amplecterer ipſum,
Quem celebrat pia Fama, Virum. Tu maxime CVRTI,
Ille es, Te noſtræ deſignant gaudia venæ.
Pande fores animi, tenerumque à matre clientem
Caſtaliâ, placidi vultus dignare favore,
Vt Phœbi perſuadet amor; contemnere neſcit
Virtus plena annis, maturaque temporis uſu
Imbelles juvenes: ſed læto lumine ſpectat
Per ſua tendentes dubios veſtigia greſſus.
Te pridem Aoniæ Myſtam dixêre Camœnæ,
Et læto augurio ſacrati munere ritus
Auxêre. Hinc pendent circum Tua tempora lauri,
Sertaque pampineæ frondis, virideſque corymbi.

Hinc plectrum Tua dextra gerit, citharamque ſiniſtra.
Hinc quà progrederis, violas Tibi conſcia tellus
Subſternit, vernaſque roſas. Quid parva moramur?
Hinc Te purpureo Chriſti patientis ovantem
Sanguine CLAVI *ornant, meliùs quàm murice latus*
Intertextus erat clavus pro more Quiritum.
Hinc Aurêi Solis radius pietate coruſcas,
Et ſtygias tenebras diſpellis lumine verbi.
Perge decus magnum magni Ordinis, orbis & ingens
Perge decus: dumque EVLOGIIS *Tibi Fama Tuorum*
Comitur, eulogio poſt funera vive perenni.

PETRVS à STREITHAGEN,
Canonicus Heinsbergenſis pangebat
Coloniæ Vbiorum.

ELOGIA

ELOGIA

sic habent.

		pag. f.
1	S. AVGVSTINVS.	
2	B. THOMAS DE VILLANOVA.	25
3	B. IOANNES SAHAGVNTINVS.	39
4	BONAVENTVRA PATAVINVS.	49
5	B. ÆGIDIVS COLVMNIVS.	61
6	ALEXANDER OLIVA.	83
7	ÆGIDIVS VITERBIENSIS.	93
8	HIERONYMVS SERIPANDVS.	109
9	ALBERTVS PATAVINVS.	117
10	GREGORIVS ARIMINENSIS.	121
11	PAVLVS VENETVS.	125
12	B. AVGVSTINVS TRIVMPHVS.	129
13	CHRISTOPHORVS PATAVINVS.	141
14	ONVPHRIVS PANVINIVS.	147
15	FRANCISCVS RICHARDOTVS.	157
16	AVGVSTINVS FIVIZANVS.	167
17	ADAMAS FLORENTINVS.	173
18	LVDOVICVS DE MONTOYA.	177
19	ALEXIVS MENESIVS.	181
20	ROGERIVS IUVENIS.	159
21	FRANCISCVS A CASTRO-VERDE.	203
22	CORNELIVS DE BYE.	207
23	ALOYSIVS LEGIONENSIS.	229
24	AVGVSTINVS ANTOLINEZ.	235
25	IOANNES CRABBIVS.	239
26	ANGELVS ROCCA.	247
27	IOANNES BAPT. A GLANO.	259
28	IOANNES PVTEANVS.	267
29	IOANNES COOLS.	275
30	PETRVS VALDERAMA.	287

M^r. F. MICHAEL PALVDANVS
S. Theol. Doctor & Profeſſor, Ord. Eremitarum S. Auguſtini in Belgio Prior Provincialis.

PRæſentium tenore & muneris noſtri authoritate poteſtatem facimus R^do. adm. P. Cornelio Curtio noſtro in Officio Provincialatûs immediato Prædeceſſori, typis mandandi Elogia illuſtrium Sacri Ordinis noſtri virorum. In quorum fidem præſentes haſce manûs propriæ ſubſcriptione, officiiſque noſtri ſigillo ſignavimus. Datum Bruxellis 19. Februarii, 1636.

F. Michaël Paludanus
Provincialis.

APPROBATIO.

INfraſcriptus perlegi Elogia quorundam illuſtrium, ſcientiâ & doctrinâ Virorum, Ord. Eremit. S. Auguſtini, non ex fide ſolùm, ſed ex nitela & elegantia quoque, à R. P. Cornelio Curtio, Ex-Provinciali, S. Th. Licent. & ejuſdem Ordinis Hiſtoriographo conſcripta. Quare ſicuti Magnum Alexandrum olim, nemini penicillo præter Apellem: nemini cælo præter Polycletum, exprimere licebat; ita qui Alexandrinos Heroës hos, ſtilo redderet, nemo juxta cum Auctore ſuo æquè potuit. Ita cenſeo; & prælo ac publico dignum opus. Lovanii Prid. Non. Maii. ∞. IↃC. XXXV.

F. Io. RIVIVS S.T. Licent. SS. Litterar. Profeſſor,
Ord. Eremit. S. Auguſt. per Belgium Viſitator.

APPROBATIO.

ELogia Virorum illuſtrium ordinis S. Auguſtini authore R^do. Patre Cornelio Curtio ejuſdem ordinis Hiſtoriographo generali, digna mihi videntur ut luce donentur; ſerviunt enim pietati inſtruendæ. Actum Antverpiæ 10. Decemb. 1635.

Gaſpar Eſtrix Plebanus ac lib. Cenſor.

Summa Privilegii

REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, potentiſsimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis R. P. F. *Cornelii Curtii Ordinis Eremitarum S. Auguſtini quondam Provincialis Virorum illuſtrium ſui Ordinis Elogia*, intra duodecennium, præter Ioannis Cnobbari voluntatem, ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſa, in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur: uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 15. Februarii, an. 1636.

Signat

STEENHVYSE.

S. AVRELI⁹ AVGVSTINVS Hippõ Episcop⁹ Doctor Doctorum, Abyssus Sapientiæ, Eremit fundator, et Ascetarcha Maxim⁹, à multis copiosè à nullo satis laudatus.
I. Francquart inv.
C. Galle fe.

S. AVRELIVS AVGVSTINVS.

ALVE Antiſtes Optime, Maxime; ingenio, doctrinâ, & virtute ſupra omnes mortales illuſtriſsime; omnium & Academiarum & Doctorum Doctor; orthodoxæ Eccleſiæ verè AVREEHAIOΣ, quam non modò eruditionis & ſanctitatis tuæ ſparſis quaquà fulgentiſsimis radiis illuſtraſti, ſed defendiſti etiam, linguâ inprimis & ſtilo, atque contra nefarias, totoque orbe dominantes hæreſes feliciter vindicaſti. Salve iterum non tantùm noſtri Auctor & Fundator, ſed aliorum quoque Ordinum Magne, imò Ter-Maxime Pater. Salve denique mundi & naturæ miraculum,

Quo nihil majus, meliúſve terris
Fata donavêre, boniq; Divi
Nec dabunt; quamvis redeant in aurum
Tempora priſcum.

Sed quis dignum te elogium ſcribet calamus? quod os etiam aureum tuam ſatis doctrinam

deprædicet ; cùm nemo homo posit legendo percurrere libros omnes, quos manus tua scripsit sine numero, & (quod mirandum magis) ante obitum non perfunctoriè retractavit? Ego certè, qui aliorum laudes calamo non omnino fortasse indiserto conscribillare audeo, de hâc tabulâ manum tollo, & ingenuè profiteor infantiam meam. Altero enim Augustino opus est, qui de AVGVSTINO loquatur. Nihilo tamen minùs de laudibus ejus delibandum est aliquid, & ubi mea trivialis nimiumque inficeta est, sexcentæ aliorum virorum illustrium linguæ provocandæ: quæ omnes simul cùm pro viribus dixerint, tantummodò de AVGVSTINO, quod de Augusto olim Horatius,

Nil oriturum aliàs, nil ortum tale, fatentes.

Anne expectatis, quid Cartagine & Milevi in Numidiâ congregati de AVGVSTINO loquantur antistites; quando pro omnibus unus AVGVSTINVS loqui jussus est, & suis scriptis nefandam Pelagii hæresin penitùs insectari? Aliò potiùs bibulas aures convertite, & audite omnia Concilii Quinti Generalis subsellia in plausum sonare, & unanimis suffragiis probare atque amplecti orthodoxam AVGVSTINI doctrinam.

Concilia Cartaginēse & Milevitanum celebrata anno 416.

Conc. Oecumenicum Constantinopolitanum celebratum an. 553.

Sequimur per omnia S. AVGVSTINVM, *& suscipimus*

pimus omnia, quæ de rectâ fide, & condemnatione hæreticorum expoſuit.

Aures iterum arrigite: in eandem ſententiam acclamant omnes Concilii Florentini Patres.

Nunc Sanctorum Patrum auctoritates in medium afferamus, ac in primis AVGVSTINI *illuſtriſſimi Latinorum Doctoris, quem Quinta Synodus conſecravit.* *Conc. Florentinum Generale ſeſſ. ſeptima, quæ Ferrariæ habita eſt an. 1439.*

Nec minùs præclarè de eodem pronunciavit Synodus Toletana.

Vir ſanctiſſimus AVGVSTINVS, *inveſtigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, aſſerendi copiâ profluus, eloquentiæ flore venuſtus, ſapientiæ fructu fœcundus.* *Conc. Toletanũ VIII. cap. 1. n. 2. celebratum an. 653.*

Et tamen illi tanto viro, neſcio qui in Galliâ æmuli presbyteri Theoninum dentem infigere, & hæreſeos ſtigma inurere anniſi ſunt. Et verò inuſsiſſent, niſi Regienſis & Arelatenſis ſanctiſsimi doctiſsimique Pontifices Proſper & Hilarius à magiſtri ſui partibus ſtetiſſent, editis contra impudentes blaterones pro AVGVSTINO libris apologeticis; Romam denique, quando buccones iſtos frænare non poterant, advolaſſent, imploratum Cæleſtini Papæ auctoritatem. Qui extemplo datis ad Epiſcopos Galliæ litteris;

AVGVSTINVM, inquit, *ſanctæ recordationis virum, pro vitâ ſuiſq; meritis in noſtrâ ſemper communione* *Cæleſtin. I. epiſt. 1. ad Epiſc. Gallia.*

*habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam antè à meis *præceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt: utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Vnde reſiſtatur talibus, quos malè creſcere videmus. Nefas eſt, hæc pati religioſas animas, quarum afflictione (quia membra noſtra ſunt) nos quoque convenit macerari: quamvis maneat hos beatitudo promiſſa, quicumq; probantur propter juſtitiam perſecutionem ſuſtinere.*

* Innocent. Zoſimo, & Bonifacio. *Baron. an. 430. n. 89.*

Nec aliter de AVGVSTINO poſt-ſecuti Pontifices loquuntur. Ioannes II. PP.

Ioannes II. lib. de duabus naturis in Chriſto contra Eutychianos.

AVGVSTINI, ait, *doctrinam ſecundùm prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.*

Vt ad AVGVSTINI diſcipulos revertamur; magiſtri ſui encòmiaſten agit Proſper Aquitanus ſequenti elogio.

De vitâ contemplat. lib. 3. c. 31.

S. AVGVSTINVS *Epiſcopus, acer ingenio, ſuavis eloquio, ſæcularis litteraturæ peritus, in Eccleſiaſticis laboribus operoſus, in cotidianis diſputationibus clarus, omni ſuâ actione compoſitus, in expoſitione ſuâ fidei noſtræ Catholicus, in quæſtionibus abſolvendis acutus, in revincendis hæreticis circumſpectus, & in explicandis Scripturis cautus.*

Epiſt. ad Aratum diaconum.

Hilarius autem;

Doctor excellentiſſimus AVGVSTINVS *defenſor fidei noſtræ, in divinâ meditatione aſſiduus, metu mortis intre-*

intrepidus, destruxit sacrilegos, atque superavit hæreticos.

Quàm ergo petulanter, malè feriati Galli dicam hæreseos illi impingunt, qui teste Posidio,

Posid in vitâ S. Augustini.

Docebat, ac prædicabat privatim ac publicè in domo, & in Ecclesiâ salutis verbum cum omni fiduciâ adversùs Africanas hæreses, maximéque contra Donatistas, Manichæos, & Pelagianos, libris confectis ac repetitis sermonibus. Vt paullò pòst, *adjuvante Domino, levare in Africâ Ecclesia Catholica exorsa sit caput, quæ multo tempore illis convalescentibus hæreticis seducta & oppressa jacebat. Et hæc diebus ac noctibus ab eodem jugiter agebantur.*

Ecce quàm procaciter mortuo leoni insultant lepores, & viri sacerrimi sugillant doctrinam ejus, cui Donatistæ

Causæ diffidentiâ nihil unquam rescribere voluerunt; Ibidem. *sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem deceptoremque animarum* AVGVSTINVM *esse, & privatim, & publicè conclamabant, & ut lupum occidendum esse in defensionem gregis, scilicet sui, dicebant, & tractabant; omniáque peccata à Deo, indubitanter esse credendum, posse dimitti iis, qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum nec homines erubescentes.*

Imò, ut sciatis, quàm parum à linguâ manus distarent.

Aliquoties etiam vias armati iidem contra famulum Ibidem.

Dei AVGVSTINVM *obſederunt, dum fortè iret rogatus ad viſitandas, inſtruendaſque & exhortandas Catholicas plebes, quod frequentiſsimè faciebat. Et aliquando contigit, ut illi ſuccenturiati hactenùs perderent captionem. Evenit quidem Dei providentiâ, ſed ſeductoris hominis errore, ut per aliam viam cum ſuis comitibus, ſacerdos Dei* AVGVSTINVS, *quò tendebat, perveniret: atque per hunc poſtea errorem cognovit, ſe manus impias evaſiſſe.*

At verò quem benigno numine hyperaſpiſtes Deus à furore hæreticorum eruit, veſani presbyteri in hæreticorum claſſem redigere magnis viribus contendunt. Ita ubique

Pindarus ode 7. Pythiorum.

Θθόνος ἀμιεθόμενος τὰ καλὰ ἔργα.
Invidia gloriam rerum geſtarum comitatur.

Dionyſius Comicus apud Stobæũ ſerm. 38.

Τοῖς ἀδὲν ἔσιν ἀδὲ εἶς ὅλως φθονεῖ
Iis qui nihil ſunt, invidet nemo certè.

Invidiæ cibus, virtus eſt. quæ quia in AVGVSTINO, & illuſtris admodum, & non una fuit; quid mirum, ſi, qui aliàs tantum

Ovid. 1. Amor. 15.

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit,

pabulum invenerit, unde à ſanctiſsimi viri morte adhuc viveret? Operæ verò pretium eſt invidiæ hoc tam diuturnum alimentum ex bonis diſcere. Hieronymus locuples in primis auctor, ita ſcribit AVGVSTINO.

Epiſt. 25. apud Auguſtinum.

Omni

Omni quidem tempore beatitudinem tuam, eo quo decet honore veneratus sum, & habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem: sed nunc, si fieri potest, cumulo aliquid addimus, & plena complemus, ut absque tui nominis mentione ne unam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos (hæreticos) *ardore fidei perstitisti. Macte virtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt, & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, & me pari prosequuntur odio, ut quos gladio nequeunt, voto interficiant.*

Non minùs præclarè de eodem loquitur M. Aurelius Cassiodorus, Senator primùm gravissimus & Regi Theodorico ab epistolis, deinde eruditissimus monachus. *In præfatione super psalm.*

AVGVSTINVS *litterarum omnium egregius magister, quodque in ubertate rarum est, cautissimus disputator: decurrit quippe tanquam fons purissimus, nullâ fæce pollutus, sed integritate fidei perseverans, nescit hæreticis locum dare, unde sese possint aliquâ colluctatione defendere; totus Catholicus, totus orthodoxus invenitur, & in Ecclesiâ Domini suavissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radiat.*

Vt jure merito sanctus Paullinus Præsul Nolanus exclamet: *Epist. 32.*

O verè sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi

culi vaneſcere errore, condiuntur! O lucerna digne ſuper candelabrum Eccleſiæ poſita, quæ latè Catholicis urbibus de ſeptiformi lychno, partum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis à confuſione tenebrarũ ſplendore clarifici ſermonis enubilas!

Id autem præſtitit tam copiosè & luculenter, ut nullius prætereà adminiculo opus eſſet. Hieronymus contra Pelagianos,

Lib. 3. c. 6. *Scripſit*, inquit, *dudum vir ſanctus & eloquens Epiſcopus* AVGVSTINVS *duos libros contra hæreſim veſtram, alios quoque cudere dicitur. Vnde ſuperſedendum huic laborí cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatii, In ſilvam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex ſuperfluo, aut ſi nova voluerimus dicere, à clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora.*

Et ad illum ipſum AVGVSTINVM.

Certè quidquid dici potuit, & ſublimi ingenio deſcripturarum ſanctarum hauriri fontibus, à te diſſertum eſt.

Vi quoque tantâ irruit in adverſarios,

Quod vult Deus, Arch. Cartag. epiſt. ad Auguſtinum quæ eſt ante lib. de hæreſibus. Rupertus Abbas Tuitienſis. *Vt uno multiformi jaculo repente proſtrati hæretici, morticinos ſpiritus non auderent exhalare.*

Nam

Ex ejus ore non ceſſavit pluvia ſalutis, imò fluere fluminis impetus contra flumen illud hæreticorum, quod poſt mulierem, id eſt Eccleſiam, de ore ſuo draco diabolus emiſit.

Vt

Vt propterea à S. Bernardo ſit

AVGVSTINVS *validiſſimus malleus hæreticorum*, & alibi. *Lingua Eccleſiæ.* *Serm. 80. in Cantica.*

Venerabili Bedæ *Apud Dion. Cartuſianū*

Omnium Eccleſiarum doctor eximius. *Enarrat. in Gen.*

Aurelio Caſsiodoro *Lib. de ſex ætat. mundi, quem alii Adoni Viennenſi adſcribunt.*

Famoſorum palma certaminum.

Hermanno Contracto, monacho Augienſi, viro non minùs docto, quàm pio, *Præfat. ſuper Pſal.*

Eccleſiæ Chriſti, & Catholicæ fidei propugnator, & defenſor invictiſſimus.

S. Vincentio Ferrerio, viro Apoſtolico, *Serm. de S. Auguſt.*

Aureum templi candelabrum.

Abbati Tuitienſi, *In epiſt. nuncupat. in Evang. Ioannis.*

Vox Chriſtianæ legis, & organum Catholicæ fidei.

Adriano I. Pontifici ſancto, & erudito,

Præcipuus Pater, & optimus Doctor.

Ioanni X.

Magnæ auctoritatis & ſanctitatis Præſul, dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt, veluti gemmula carbunculi ignitæ charitatis, & flammeæ eloquentiæ.

Sixto IV.

Inter intemeratæ Eccleſiæ Doctores præcipuus, & ſubtiliſſimus evangeliorum, & ſacrarum litterarum perſcrutator.

Claudiano Mamerto, Viennenſi in Galliâ Archiepiſcopo,

Lib. 3. de ſtatu animæ.

Chryſippus argumentandi virtute, Zenon ſenſuum ſubtilitate, Varro voluminum magnitudine.

Lipſio noſtro, Criticorum principi,

Antiſtes Antiſtitum, & noſtrorum ſcriptorum apex.

Sed omnium omnia de S. AVGVSTINO encomia ſimul accumulavit Martinus V.

Serm. de tranſlat. S. Monicæ.

Quicunque, inquit, *de Chriſto, de fide, de religione aliquid ſaperent, omnibus in ore erat* AVGVSTINVS; *ut nihil pænè ex ſacris litteris poſsit niſi eo duce intelligi, nihil niſi eo interprete explicari. Eo jam auctore factum, ut nec Philoſophis ſapientiam invideamus, non Oratorum elo-*

quentiam deſideremus, non ſtudioſorum ingenia requiramus; non denique nobis acumen Ariſtotelis neceſſarium, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non gravitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis ſolertia, non cujuſquam illius generis hominum ſcientia ac virtus documento eſſe debeat. Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apoſtolorum voces refert, idem omnium ſcripturarum ſenſum exprimit. Unus poſtremò omnium Patrum ſapientiumq; ingenia ac ſtudia exhibet. Si veritatem quæritis, ſi doctrinam, ſi pietatem, quis doctior, quis juſtior, quis, ut ita dicam, ſanctior AVGVSTINO? . . . . . AVGVSTINI *tanta extant erga omnem Catholicam*

Ec-

Eccleſiam beneficia ut nulli pænè, ita dicam, Sanctorum majora merita debeamus. Quidquid enim ſimul omnes Apoſtoli plantaverunt, quidquid Apollo, atque alii Apoſtolorum ſectatores rigaverunt, hic coronavit.

Ne dicam, quod Voluſianus (dandum id ejus affectui)

Epiſt. 2. ad Auguſtinũ.

Vtcumque abſque detrimento cultus divini in aliis ſacerdotibus toleratur inſcitia: at cùm ad Antiſtitem AVGVSTINVM *venitur, legi deeſt, quidquid ab eo contigerit ignorari.*

Eccleſiæ Doctores alii extra numerum & viri eximii fuerunt, quos ſalem terræ cum Chriſto, & lucem mundi vulgò & meritò vocamus: Gregorius tamen ipſe,

Regiſt. li. 8. epiſt. 37.

Si delicioſo, inquit, *cupitis pabulo ſaginari, beati* AVGVSTINI *opuſcula legite, & ad comparationem ſimilaginis illius noſtrum furfurem non quæratis.*

Et Paullinus Nolanus: *Auguſtinus ſubtiliùs omnibus volans omnia reſeravit, & ideò meritò Angelus, non naturâ, ſed gratiâ nuncupatur.*

Epiſt. ad Valerium.

Haymonis etiam Halberſtattenſis ſententiâ,

In 2. ad Corinth. c. 12.

AVGVSTINVS *in elucidandis quæſtionibus omnes Doctores poſt Apoſtolos præcellit.*

Et apud Abſalonem Sprinckirsbatenſem Abbatem,

Serm. 46.

AVGVSTINVS *ceteris Eccleſiæ Doctoribus præeminet.*

Remigius Antiſsiodorenſis, monachus ſuo ævo doctiſsimus, excellentiæ gradum deſignat.

In 2. ad Corinth.

Sicut ſol in lumine excedit omnes planetas: ita AVGVSTINVS *omnes Doctores exceſsit in exponendis ſcripturis.* Et alibi: *Sicut ſtellæ lumen à ſole recipiunt; ſic omnes Doctores ſcientiam recipiunt ab* AVGVSTINO.

In expoſit. pſalm.

Vt homo Ethnicus Avicenna, crediderit non humanam fuiſſe AVGVSTINI ſcientiam.

Apud Oſorium tom. 3. Conc. de S. Auguſt.

Scientiam, ait, AVGVSTINO *cælum dedit, & ſuper omnes homines, & quantum dare potuit, illi conceſsit, non Platoni, non Ariſtoteli.*

Neque aliter Catholici opinati ſunt. S. Dacius Epiſcopus Mediolanenſis

Ex Dacii l. 10. Chron. c. 1. Iacobus de Valentia in hymno Te Deum laudamus. *Claruit. S. Dacius an. 560.*

Beatus, inquit, AVGVSTINVS *à principio ſui baptiſmi recepit non ſolùm gratiam gratum facientem, ſed etiam dona Spiritus ſancti, ad intelligendas & exponendas ſacras ſcripturas; & per conſequens habuit ſcientiam infuſam, quia ex tempore confeſſus eſt profundiſsima myſteria in hoc cantico: imò propheticè locutus eſt.*

A quo non diſſentit Conſentius, ſcribens ad illum ipſum AVGVSTINVM:

Epiſt. 1. apud Auguſt.

Tibi, inquit, *ille Pater noſter ſolus conſcius ſecretorum, qui habet clavem David, ſereniſsimo cordis obtutu cælorum machinam penetrare conceſsit, & revelatâ, ut ſcriptum eſt, facie, gloriam Domini ſpeculari.*

Neque

Neque aliud Gennadius voluit, quando de AVGVSTINO dicit:

Introductus est in cubiculum Regis & decoratus veste multifariâ sapientiæ Dei, exhibuit Ecclesiam sine maculâ aut rugâ.

Clariùs & præclariùs Abbas Rupertus, *Lib. 7 de o. per. Spiritus sancti c. 19.*

In AVGVSTINO, ait, *Spiritus manifestè operatus est, quod se dignum fuit, ad laudem suam, ad Ecclesiæ suæ defensionem, Catholicæq; fidei perpetuam munitionem. Iste est* AVGVSTINVS *columna & firmamentum veritatis; & verè columna nubis, in quâ thronum suum posuit sapientia Dei.*

Quare P. Ribadeneiræ videtur AVGVSTINVS *In vita ejus.*

Doctor magnorum Doctorum, à Deo doctus, homo qui de fonte divinitatis bibit, ter-sanctus inter doctos, & ter-doctus inter sanctos, Cherubim per scientiam, Seraphim per amorem.

Et quis perfrictâ id fronte negare audeat, qui audit,

Tanta ab eo dictata & edita, tantaq; in Ecclesiâ disputata, excepta, atque emendata, vel adversùs diversos hæreticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita, ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, ut ea vix quisquam studiosorum nosse & perlegere sufficiat? *Possidius in vita D. Augustini.*

Isidorus Episcopus Hispalensis, *Lib. 6. Etymolog. c. 8.*

De nostris, inquit, *apud Græcos Origenes in scriptu-*

rarum labore tam Græcos quàm Latinos operum ſuorum numero ſuperavit; denique Hieronymus ſex millia librorum ejus ſe legiſſe fatetur: horum tamen omnium ſtudia AVGVSTINVS *ingenio & ſcientiâ ſuâ vicit. nam tanta ſcripſit, ut diebus ac noctibus non ſolùm non ſcribere quiſquam libros ejus, ſed nec legere quidem poſſit.*

In Catalogo virorum illuſtrium.

Presbyter Maſsilienſis Gennadius:

AVGVSTINVS *Hipponenſis oppidi Epiſcopus vir eruditione divinâ & humanâ orbi clarus, fide integer, & vitâ purus, ſcripſit quanta nec inveniri poſſunt. Quis ergo glorietur omnia ſe illius habere? aut quis tanto ſtudio legat, quanto ille ſcripſit?*

Poſsidius.

Quid verbis ultrà opus?

Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, adhuc non eſſem ſufficiens ad laudandum tantum Patrem & Doctorem.

Finio ergo elogium, & claudo Poſsidii Epiſcopi Calamenſis præconio.

AVGVSTINVS *homo cæleſtis, imago divinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyſſus ſapientiæ, præco veritatis, eructator divinorum eloquiorum, inquiſitor prædictorum.* AVGVSTINVS *par Angelis in fervore, par Prophetis in abſconditorum myſteriorum revelatione, par Apoſtolis in prædicatione, par Martyribus in deſiderando paſsionem, par Confeſſoribus in diſciplinarum traditione, & par Virginibus in continentiæ obſervatione.*

EPI-

EPISTOLA THEODOSII IMPERATORIS, quâ D. AVGVSTINVM ad Concilium Ephesinum invitat.

Apud Lancillottũ l. 3. c. 43. de vita S. August. ex ea quæ reperta est Paduæ apud Benedictinos Congr. S. Iustinæ.

VENERABILI DOMINO AVGVSTINO EPISCOPO HIPPONENSI

THEODOSIVS IMPERATOR.

Librorum à te conditorum præstantia & industria, quâ singulariter polles in enucleatione sacrarum litterarum, fructus etiam quos in omnem Ecclesiam protulisti, causa fuêre, ut ubivis gentium illustrem gloriam sis adeptus. Gratiæ Deo, qui hac tempestate periculosissimâ, respiciens ex alto procellas quibus conflictamur, te largitus est Ecclesiæ suæ tantum defensorem. Ego quantum me attinet, illam protegere totis viribus & quâ debeo animi modestiâ, conabor. Quia si quæ meo Imperio ventura sit felicitas, si quæ accessio, sive quæ præstanda securitas, id totum facilè consequar, si IESV CHRISTO, *qui à me debetur, honos tribuatur, ejusq; fidei Orthodoxæ; à quo vera salus & vita provenit, & quidquid aliud boni possidemus. Consilium istud dedit Constantinus sanctus, atque idipsum*

idipſum edocuit avus meus Theodoſius: quod ego, quoad potero, ſequi ſtudebo; maximè qui ſciam ejuſce gloriam, non imperii magnitudine, ſed Religionis ſpectatam fuiſſe: quam quidem cum Eccleſiâ Catholicâ eiuſque miniſtris, altiſſimè pectori infixam habebat. Non te latet ingens malum, quod novam hanc Romam *excepit: nec ignoras, quàm ſeſe latè propagaverit teterrima hæreſeon lues per univerſam Græciam. Neſtorius enim Epiſcopus, cùm pietatem omnem & ſanctimoniam priùs ſimulaſſet, ad extremum malitiam verſipellis ingenii ſui detexit; cumque Patris eſſet titulo inſignitus, nobis inimicum ſe præbuit, factus ex paſtore fur & latro; dum ſeminavit in vulgus nefandam hæreſim, in vituperium Redemptoris noſtri* IESV CHRISTI, *eiuſque ſanctiſſimæ Matris, quam omni tempore unà cum Filio ejus benedicto ſummâ veneratione proſequimur, juxta ſanctorum Patrum decreta. Itaque Pelagius hæreticus, tametſi damnatus eſt erroris per ſacroſancta Concilia, nec non eruditiſſimis ſcriptis tuis, quibus eum planè confeciſti; nihilominus efferre caput nititur, & ipſi Deo repugnare. Enimverò tam atrocia hæc mala, quæ patimur, fateor peccatis noſtris deberi, & præſertim hujus Pharaonis obſtinatæ voluntati. Atqui cùm benigniſſimus Deus ad has avertendum calamitates ſuggerat opportunè rationes; propoſitum nobis eſt opem ferre ſanctiſſimo Domino noſtro Cælestino, Epiſcopo univerſali totius Eccleſiæ: nimirum ut ſecundùm receptam à majoribus conſuetu-*

* Conſtantinopolin.

ſuetudinem, Concilium generale celebretur. Proin ut hoc votum noſtrum Catholicum planè intelligat, liberum facimus, ut ex omnibus, quotquot noſtro parent Imperio, civitatem aliquam ſeligat, quæ in hunc finem ei commodiſſima videbitur; qui eſt, ut unanimi Patrum ac Epiſcoporum conventu id ſtatuat, quod nos, quorum eſt parére, indubitatâ fide, ſequi debemus. Ad illum tanquam Principem omnium quæ fiunt, quæque decernuntur in Eccleſiâ, ſpectat providere; ut ne quid Orthodoxis incommodet. Ego viciſſim tanquam filius Eccleſiæ Catholicæ, & ipſius Pontificis Romani, ſum paratus quovis tempore ei inſervire & obſequi, quibuſcumque in rebus ope meâ poſſum Eccleſiæ commodare. Nunc igitur te, qui rebus in omnibus lumen es orbis Chriſtiani, quique idem terror es, & hoſtis omnium ſectariorum, qui ſub oculis tuis comparere verentur; te, inquam, rogamus quàm poſſumus ſtudioſiſſimè, ut Epheſi te ſiſtas, quâ in urbe locus eſt Concilio, quod habebitur, deſignatus. Ita nimirum dicere poteris te omne vitæ tempus, quod reliquum eſt, ſicut & elapſum, in gloriam & honorem Domini noſtri IESV CHRISTI *liberaliter expendiſſe; cui debemus vitam, ſalutem, & quidquid aliud ab eo habemus, non velut proprium aut juris noſtri, ſed tanquam ab eo mutuatum & acceptum. Non te abſterreat mare, non longitudo itineris, non res quæcumque: totum enim id oportet ferre conſtanter in hoc pio molimine, cujus finis, quia eſt optimus, ad ſe nos invitat. Si tibi eſt animo de-*

 cretum

cretum venire, (quod Ecclesiæ bono facere teneris) plura resçies ex noſtro Ebagnio Magiſtriano, qui mihi à cubiculis eſt. Commendamus Imperii noſtri cuncta negotia veſtris orationibus: merita enim tua gratiaq; apud Deum perſpecta nobis ſunt, & quantum polles apud ſanctiſſimam Trinitatem. Datæ in noſtro palatio novæ Romæ, Baſſo & Antiocho Coſs.

DE DIVO AVGVSTINO

Poëtarum elogia.

S. Proſper lib. περὶ ἀχαρίστων.

AVGVSTINVS erat, quem Chriſti gratia cornu
Vberiore rigans, noſtro lumen dedit ævo,
Accenſum vero de lumine: nam cibus illi,
Et vita, & requies Deus eſt, omniſq; voluptas;
Vnus amor Chriſti eſt, unus Chriſtus honor illi.
Et dum nulla ſibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in ſancto regnat ſapientia templo.
Iſtius ergo, inter cunctos, qui de grege ſancto
Inſanas pepulêre feras, induſtria major,
Majus opus, totum præſtantius imbuit orbem:
Nam quocumque gradum convertit callidus hoſtis,
Quaq; per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab incurſu eſt præventus, mille viarum

Inſidiis

Inſidiis aditum non repperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum excluſa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes;
Ne mentes ullarum ovium corrumpere poſſet,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis;
Iſtius ore viri fecit Deus, iſtius ore
Flumina librorum mundum fluxêre per omnem,
Quæ mites humileſq; bibunt, campiſq; animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

AENEAS SYLVIVS
qui poſtea fuit
PIVS II. PONTIFEX MAXIMVS.

BArbaricæ gentis decus AVGVSTINE *pereme*
Horrida quem nobis Africa terra tulit;
Qui ſcripturarum profers arcana ſacrarum,
Eloquiis reſerans abdita cuncta tuis,
Doctior, ingenuaq; omni cultiſſimus arte,
Et ſtudio præſtans, ingenioq; nitens;
Quem nihil obſcurum latuit, ſed & omnia florent,
Atque humana ſimul dogmata, & alta patent.
Cujus & inſtruimur doctrinis, atque movemur
Exemplis, probitas cujus in orbe micat:
Millia librorum per te Pater alme leguntur
Edita, quæ promunt quidquid ubique latet.

Sis cunctis fautor pius, ô sanctissime Præsul,
Atque Dei summas offer ad alta preces.

IOAN. IOVIANVS PONTANVS.

DEt monstra infelix tellus Massyla, det angues,
Et Libycas pariat Punica terra leas;
Arescant sitiente solo Nasamonica tesqua,
Funditet & nullas gleba Libystis aquas:
Dum tamen, AVGVSTINE, tuos non deneget ortus,
Læta sit & partu Cinyphis ora tuo.
Vnde illi invideant & felix Lydia, & arva
Quæ rigat auriferis lucidus Hermus aquis.
Invideat latis audax Germania terris,
Dives aquis, populis dives & ipsa suis.
Nil etenim, AVGVSTINE, tulit te te Africa majus,
Cujus ab ingenio creverit alma fides.
Per te Relligio Christi stetit integra, per te
Divinæ legis mystica operta patent.
Tu secreta Dei pandis, tu tradita Patrum;
Et verum & pietas manat ab ore tuo.
Et pater, & patriæ princeps, & maxime rector,
Accipias voces, Dive benigne, meas.

M. HIE-

M. HIERONYMVS VIDA,
Episcopus Albanus,

Hymno ad D. AVGVSTINVM.

....neque enim quisquam certaverit unquam
Laudibus, AVGVSTINE, tuis; tu maximus ille es,
Nobis labentem qui verbis restituis rem.
Templa tibi, tibi relligio non perdita debet.
Te nunquam ullius fando violentia vicit.
Te nulla incautum veri sub imagine fugit
Hostis pellacis fallacia. solvere nodos
Tu bonus, atque dolos verborum aperire latentes.
Se tibi se ratio ostendit: tibi sæpe futura
Nosse datum, & verâ populis prædicere voce.
Tu mulcere potens hominum fera pectora dictis
Exacuens, animosq; rudes formare colendo,
Nunc meritò cælum mortali corpore functus
Incolis, æthereæque plagæ juga læta, tibi omnis
Astrorum chorus assurgit, tibi lucidus æthra
Siderea applaudit polus. altum nubila longè
Te nigra, te fugiunt, nimbiq; Austriq; madentes,
Terroresque, metusque, & inexorabile lethum
Sub pedibus jacet. aëreis tibi carmina campis,
Perpetuasque canunt laudes vatum chorus omnis,
Cœlestûm vatum chorus omnis, amoena per arva

Qui te incedentem medium comitantur ovantes,
Sublimemq; humeris attollunt, atque beatos
Per cæli populos alacres arcana canentem
Magna ferunt, sistuntque supremi ante ora parentis.
Salve inter summos lumen venerabile divos
Magne pater: facilis precibus nunc annue nostris,
Dum tibi solemnem de more novamus honorem,
Et cœtum celebramus. adi hæc tibi sacra secundo
Templa pede, & proprias tibi quas ereximus aras. &c.

FRANCISCVS GONZAGA, MANTVÆ MARCHIO,

Pro victoriâ, quam ei apparens D. AVGVSTINVS promiserat, æternum hoc posteris monimentum scripsit.

VOs patriæ cives, quibus hic Pater expulit olim
Bis Ligures, lætumq; dedit bis habere triumphum,
Dum sua curriculo bis festa darentur eodem,
Este boni memores, & grati advertite dona:
Huîc mecum laudes, mecum huîc celebretis honores.
Protector patriæ, spes & tutissima nostra,
AVGVSTINE *parens, Doctor, Lux inclyta sacri*
*Eloquii, innumeras *Ocnæas accipe laudes.*
Tendimus inde manus humiles, oculosq; precantes,
Venture adversis, ut quondam, protege Princeps.

* Ocnus fuit conditor Mantuæ

IVLIVS

IVLIVS CAESAR SCALIGER,

De triplici S. AVGVSTINI desiderio.

NE egredere è ſolo ac tetrico Pater alme receſſu,
Vt Ieſum videas; Chriſtus ubique tibi eſt.
Ne egredere, ut Paulum auſcultes magna illa ſonantem;
In cælo Paulus mox tuus hoſpes erit.
Ne egredere, ut Romam ſpectes; ſtomachabere quando
Roma erit in Româ nulla reperta tibi.

P. NICASIVS BAXIVS

De amore D. AVGVSTINI.

Δήποτ' ἐρωτηθεὶς Αὐρήλιος, ὅσον ἐράζῃ
Τὸν Θεὸν, ἐξαίφνης χεύσεον εἶπε λόγον.
Τόσον, ἔφη, σε Θεὸς φιλέω, ἵν' ἐὰν Θεὸς εἶως
Θνητὸς βαλοίμην ἔμπυον, ὡς σὺ Θεός.

ELO-

I. Fran. inv.

B. THOMAS a VILLA NOVA,
Elemosinarius Ord. Erem. S. AVGVSTINI,
Archiepiscopus Valentiæ, Ecclesiastes Imp. Caroli V. obyt
clarus miraculis, Anno Incarnati Verbi, 1555, 8 Septemb.
ferijs natæ Deiparæ.

THOMAS
DE VILLANOVA,
COGNOMINE
ELEEMOSYNARIVS,
ARCHIEPISCOPVS VALENTINVS.

SOLEM indigitavimus: alia nunc sidera suo penicillo damus, nullo colore extraneo, nisi quem à suo Phœbo mutuati sunt, fulgentia; nullo peregrino calore, nisi quem ab isto Hyperione conceperunt, flagrantia. Primum ab Hesperiâ occidente nobis oritur ex *Villa-nova* THOMAS, viduarum & pupillorum Phosphorus, naufragorum in hoc mundi pelago Cynosura, stella nunquam non salutaris. Verum est vetus illud dicibulum,

Ἐ'σθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθ τέκνα. *Eurip. in Alcmæone apud Stob. serm. 88.*

Ex bonis viris liberos gigni bonos.

Certè ex bonâ matre optimus hic filius est; ex sanctâ *Luciâ Martinez* sanctissimus hic THOMAS. Mater piè ac prodigiosè in pauperes prodiga, *Eleëmosynariæ* cognomen vulgò meruit: in filium transiit cum nomenclaturâ pietas; ut non tam

tam vitæ, quàm virtutum ſemina naturali ab eâ traduce accepiſſe videatur. Etenim in tenerâ ſtatim ætate igniculi iſti ſeſe prodidêre; &, qui prima tantùm litterarum elementa in ſcholâ diſcebat, oſtendit, quàm à meliori intùs doctore ad ſanctitatem inſtrueretur. Puer, cùm ad ludum iaret, jentaculum ſuum in primò obvium mendiculum conferre, ipſe jejunus durare uſque ad meridiem: cùm à didaſcalo rediret, diſpertire pauperibus calceolos, caligulas, prætextam etiam ſuam, & ſe matri inveſtem ac prope nudum ſiſtere; niſi quòd virtutum pretioſo amiculo ſupra interulam ſatis tegeretur. Ita in bullâ præludebat reliquæ vitæ THOMAS noſter. Natus annos quindecim, à Muſarum ſinu, quas ſtudiosè pro ætate coluerat, Complutum amandatus eſt, ubi gravioribus ſtudiis, ſeverioris doctrinæ fundamenta jaceret. Iecit porrò in philoſophiâ profanâ, deinde ſacrâ tam ſolida, ut ſtatim pervenerit ad

Edita doctrinâ ſapientûm templa ſerena;

& ab imis ſubſelliis ad cathedram aſcenderit, Academicoque ſtipendio mactus, publicè, quod didicerat, profeſſus ſit. Quàm egregiè ſpartam illam ornarit, facile eſt conjectare, quando aliæ Doctorem iſtum ambierunt, tum Salmanticenſis inprimis Academia grandi honorario ad ſe

THO-

THOMAM invitavit. Sed maluit ille honeſtiore ambitu candidatus cælum prenſare, & mutare cum cucullo monachico epomidem magiſtralem. Iam ergò certus totus ſe ſe mundo eripere, incertus cui ſe monaſterio devoveat, deliberat totum annum. Curioſo interim oculo luſtrat examinatq; ſingula; ſed unum placuit, quod Salmanticæ habent Auguſtiniani, tum à crebris miraculis, quæ nuper defunctus Ioannes Saguntinus ibi patrabat, celebre; tum à religioſo inſtituto, quod ſeverè ſancteque fratres etiamnum obſervant, totâ urbe venerabile. Hîc ergo monachum induit, anno poſt redemptum mundum ∞.IↃ.XXVI. VILLANOVANVS. Et quia cum ætate magnâ (XXXIIX. annos numerabat) grandem quoque ſapientiæ theſaurum adferebat, ad munia ſtatim honoratiora adhibitus eſt. Incredibilis & ſupra naturam mira vis ejus fuit è ſacro pulpito pro concione declamantis, ut auditorum animis adfectibuſque quaſi ſuo imperio dominari videretur. Quâ famâ totam implevit Hiſpaniam; ſed & aures Caroli V. Cæſaris, qui eum coram ſe dicere, deinde ſuum Eccleſiaſten eſſe juſsit. Quippe qui non in ore tantùm nata, ſed ex intimis animi penetralibus verba fundebat: quorum teſtes irrefragabiles erant lacrimæ, quas,

cùm aliquid emphaticῶs pronunciaret, ex oculis cælo defixis, torrentis in modum, largiſsimè & continenter derivabat. Teſtes quoque ectaſes frequentes, in quas rapiebatur; ut, quæ ſermone multo non ſatis exprimi poterant, mentis oculis clarè inſpectaret. Neque minùs valida erat illius extra ſacrum pulpitum oratio. Diceres ſacrum Amphionem THOMAM eſſe, qui ſaxa etiam traheret. In eodem Cæſare ſpecimen luculentum capere licet. Ejus juſſu ſententia capitalis data & dicta erat in viros aliquot nobiles; veniæ ſimul ſpes omnis præciſa. Quam nihilo tamen minùs à patre ſuo Princeps Philippus, Archipræſul Toletanus, alii primores Hiſpaniæ ſupplices petebant, ſed fruſtrà: quippe, qui reorum antè portus eſſe ſolebat Carolus, tunc ſcopulum induerat, atque indurverat. Venit tandem VILLANOVANVS, & ſupremum judicem aggreſſus eſt quodam verborum quaſi fulmine, ut ſaxea Imperatoris præcordia frangeret, & ceræ inſtar ad miſericordiam emolliret. Tum Carolus, qui nulli antehac victas manus dederat, THOMÆ dedit; jamque dum circumfuſi quaſi ad miraculum Optimates hærent; Video vos, ait, obſtupeſcere, quia, rogante Auguſtinianorum præfecto (Valliſoleti tum præerat) reos abſolvi; at verò iſte mihi videtur non rogan-

rogando impetrare, ſed jubendo imperare, ſcilicet qui inter mortales poſitus, immortalium honore digniſsimus ſit. Tam inſignem ergo virtutem ornare poſteà Carolus Cæſar voluit, & Archiepiſcopatum Granatenſem ſponte offerre: ſed illum tam generoſo faſtu, quàm alii captant, THOMAS repudiavit. Non potuit tamen infulam Valentinam ab humeris ſuis excutere, quòd vim ſacram adhiberet Franciſcus *de Nieva* Provinciæ præfectus, excommunicationis gladium paratus in eum ſtringere, niſi acceptaret. Invitus ergò, reluctanſque aſcendit Pontificalem ſpeculam, ex quâ oculos emiſsitios vibrans in ſubditum ſibi gregem, primum omnium habuit carceres viſere, & horrorem eorum nimiùm emendare; addens, Dei chriſtos meliori & molliori modo ad mentem eſſe reducendos. Deinde perrexit agrum ſuum omnem diligenti curâ luſtrare, licentiam agendi perperam, quæ paſsim invaluerat, frenare, habitis inter viſitandum, ad clerum & populum è ſuggeſtu oportunis ſermonibus; celebrare poſteà Provinciale concilium, & in eo leges ſanctiſsimas condere, quibus ceu irpicibus vitiorum nata zizania ſtirpitus erueret, & ne repullularent, in poſterum prohiberet. Flagitiis immerſos & præfractè obſtinatos presbyteros, quos

verbis corrigere non poterat, verberibus emendavit; quæ non ipsis reis, sed sibi inflixit, tamque acriter & diu in sese desæviit, donec illi qui meruerant, ad pœnitentiam suapte sponte compellerentur. Sed immane quantum illi cordolium erat, audire, sacerdotem captivum, quem in vinculis Pontifex detinebat, guttur infami sibi laqueo obstrinxisse, & pendere ab infelici trabe exanime cadaver. Inhorruit ad tragici facinoris nuncium THOMAS, tristis, non tam ob miserum corpus, à quo exclusa anima fugerat, quàm ob animam ipsam, quæ cum corpore Deum reliquerat. Ille nihilominùs vota precesque ingeminat, donec suspendiarius visus reviviscere, & sensibus rursum valere ac fungi, Præsulique suo gratias immortales agere, qui eum ab utrâque morte ad meliorem vitam, quam deinde in locis solis sanctissimè exegit, revocasset. Ad Concilium, quòd Tridenti Paullus III. indixerat, cum aliis evocatus ire non potuit, quòd valetudine parum firmâ esset; cui præterea gravis admodum incumbebat senectus, nimiis laboribus maturata. Affuit tamen in præsenti naufragio laborantibus, qui illuc navigabant Hispaniæ Episcopis; à quibus visus est sanctus Archipræsul per undantes fluctus oberrare, & baculo pastoritio

maris

maris iram compeſcere, facilemque viam navi aperire ad optatum portum. Et verò, quid mirum turbatum illi elementum cedere, quando malorum dæmonum exercitum, qui impetuoſis turbinibus aërem concutiebant, ſolo IESV nomine invocato in fugam dedit, ſolemque ſuum & malaciam univerſo cælo reddidit? Immò diceres illi in totam Stygem datum imperium: ita quòcunque ille pedem ferret, inde referre cogebatur infernalis genius, ex antiquo etiam hoſpitio, quod olim violentus diverſitor invaſerat, tenueratque fortiter adversùs devotoria carmina, & vim precum atque ſacrificiorum. Ceterùm, quàm metuendus cacodæmonibus, tam blandus faciliſque aliis omnibus erat, ut neminem aditu ſuo prohiberi vellet. Nunquam ulli opem roganti in quæſtione fuit, ne quidem cùm lateret in oratorio: ubi inter preces, quas pro ſuorum ſalute Deo perdius pernoxque fundebat, repertus eſt frequenter à ſeipſo exiviſſe; aliquando etjam creditus Crucifixo commortuus, niſi vitam ſuſpiria prodidiſſent. Sed & orando duo à Cœlo obtinuit: alterum fuit donum, quod vocant conſilii; quo ſic excelluit, ut quando in arduis negotiis ſententiam rogatus, conſulto antè Numine, reſpondiſſet, juris & cauſarum periti patroni affirma-

firmarent, nihil potuiſſe aut æquius aut expeditius pronunciari: alterum fuit vaticinii; ut longè poſita non ignoraret, & prævideret diu pòſt futura. Ad has tam eximias multaſq; virtutes quibus ceu gemmis infulam ſuam ornabat, acceſsit, quam in monaſterio legerat, pretioſa margarita, frugalitas. Feriis jejunalibus præter cibarium panem & fontanam nihil ſumpſit: aliis, cibum parabilem atque obvium. Oeconomum, qui murænam quatuor drachmis emptam à foro attulerat, acriter verbis caſtigatum juſsit reddere piſcem ichthyopolæ, & datum ab eo argentum repetere; addens, drachmis iſtis ſe totidem aut plures pauperes aliturum. In hos enim, quod à matris uberibus puer olim imbiberat, admirabili ſemper ſtudio ſe flagrare, ſed maximè Pontifex oſtendit. Obſidebant fores ejus quotidie toti manipuli mendicorũ; & cùm, ut minimùm, numero quingenti eſſent, in ſingulos tamen cum potu cibatum & nummum, in nudos etiam veſtem lineam laneámve diſtribui juſsit. Vt nihil dicam de pupillis, quos veluti oculi ſui pupillam cuſtodiebat: nihil de orphanis, quarum nulla matrimonii jugum ſubivit, niſi ejus ope opibuſque fulta. Ne adducam matronas honeſtas, viduas, virgines, nobiles attenuatos, morbo aut vin-

vinculis impeditos, quibus omnibus liberaliſsimè ſuccurrere ſolitabat. Et quomodo, niſi prodigio cæleſti potuit tam prodigo ſatis ſemper ſuperque fuiſſe quod largiretur? Nempe in dantis manu ſæpe auctæ cæleſti incremento pecuniæ, multiplicatæ veſtes, farina inter pinſendum non imminuta, vacuefacto horreo divinitus importatum frumentum copioſum; ut veluti anguſtias ejus accuſaret, & extra oſtia ſe miraculumque effunderet. Porrò ne deeſſent, qui patrem eum vocarent, infantes, quos matrum verecunda impudentia, aut non optimi ſemper conſilii auctor egeſtas pro foribus alienis expoſuerat, curiosâ inprimis curâ curabat, donatis etiam nummo aureo atrienſibus, qui vagientem pro januâ ſuâ talem ad ſe attuliſſet. Singulos autem ſingulis nutricibus educandos committebat, quas etiam convenire quot menſibus juſsit cum ſuis alumnulis, ut omnium vultus ſuis ipſe oculis arbitraretur, nutriceſq; quæ benè ſuos habuiſſent, auctario ſupra pactam mercedē honoraret. Cæterùm qui in alios miſeros tam benignus fuit, duriter ſeipſum miſereque ſemper habuit, & paupertatem quam olim ſolenni formulâ profeſſus erat, ne quidem in Archiepiſcopale faſtigium evectus, ut aſſolet, deſeruit. Nam cùm inopiam, quâ validè

premi novum ſuum Antiſtitem videbant, Canonici ſublevatū ire vellent, oblatum honorarium quatuor aureorum millia accepit quidem THOMAS, ſed ſtatim in noſocomii, quod incendio fœdatum erat, ſarta tecta reparanda convertit. Togam Auguſtinianam, quam ex monaſterio attulerat, geſtavit multos deinde annos, attritamque & laceram ſuâ ipſe manu refecit; neque depoſuit, donec manum interpolatricem non admitteret. Sciebat pannuceam iſtam tunicam, licèt fortaſſe Archiepiſcopatum non ornaret, virtutem tamen optimè tegere. Tam humilem abjectumq; Præſulem ægrè ferre potuerunt generoſi, ne dicam faſtuoſi, Canonicorum animi; quare virum adeunt, atque obteſtantur, ut pro decore Pontificio, amiculo honeſtiori uteretur. Ille verò ſubridenti ore; *Me vobis curæ eſſe, gaudeo*, inquit: *ſcire tamẽ debetis, viles hoſce pannos non eſſe dedecores Archiepiſcopo, qui paupertatis ultroneo voto obſtrictus eſt: deinde non eſſe poſitam muneris Pontificii auctoritatem in veſtium ſplendore, ſed in zelo, & multâ pro grege commiſſo vigilantiâ.* Quid ad hęc Canonici? multo certè rubore ſuffuſi, cùm nihil haberent quod reponerẽt, etiam atq; etiam rogãt, ut tramoſerico pileolo, pro laneo, quem gerebat, uteretur. Ille, ne omnia negaret illis, quibus non volebat largiri omnia, indulſit hoc ſibi, immò

mò illis : deinde crebrò eum oſtentans ; *En meum*, ait, *Pontificatum. hoc me tegmine indui volunt Domini mei Canonici, ut inter Archiepiſcopos locum teneam.* Nullum erat in ejus domo periſtroma ſericum, nullum pectine Phrygio aut acu Flandricâ pictum tapetium. Lectum ſarmenta ſternebant, caput fulciebat lapis, molle ſemper caſtitati pulvinar. Cilicio perpetuo carnem nudam tegebat, illud verò laneâ interulâ diſsimulabat. Omnis ejus ſupellex tenuis admodum & curta, quam ante obitum, cùm nihil æris reſtaret quod profunderet, in egenos partiri juſsit : ne quidem ſervato, in quo fatali morbo æger decumbebat, grabatulo ; ratus tunc ſe moriturum ſecurè, ſi ne quidem in ſuo moreretur. Mortualem porrò diem ſuum longè antè præſcivit. Cùm enim onere iſto Pontificio, quod invitiſsimus & imperio coactus ſuſceperat, premi ſe graviter ſæpè quereretur; ut diceret, *Se nunquam tantopere timuiſſe, ne excluderetur numero beatorum, quàm dum includeretur numero Prælatorum*, eoque metu anxius quæreret viam, quâ ſe hiſce difficultatibus expediret, neque inveniret, effusâ apud Chriſtum in cruce pendentem animi mœſtitudine, ſortem ſuam deplorare cœpit: neque deſtitit priùs, quàm vidit Crucifixi os aperiri, ſimulque audire hanc vocem; *Æquo a-*

nimo eſto, in die Nativitatis Matris meæ venies ad me. Et ut miraculi hujus memoria duraret apud poſteros, in hæc uſque tempora, os Crucifixi loquentis, quod clauſum antè fuerat, manſit deinceps recluſum, dentibus tam perfectè eminentibus, ut nulla ars tam fabrè eos imitari poſſet. Die ergo prædicto, Septembris octavo, cùm Redemptoris noſtri extrema tormenta coram ſe legi, deinde Miſſæ ſacrificium offerri juſsiſſet; dum verba conſecratoria ſacerdos, ille pſalmum, *In te Domine ſperavi*, lento ſpiritu, quem ultimum trahebat, recitare cœpit, ſimulq; cum presbytero communicante, ultimum verſiculum, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, perorans, expiravit. Statim auditus, totâ urbe quaſi captâ, lugentium ululatus. Funus ex Epiſcopeio in cœnobium D. Auguſtini, ubi condi promiſcuâ monachorum ſepulturâ voluit, illatum eſt omnium, ut ſic dicam, humeris: pauperes grandi numero ſecuti (octo millia quidam numerarũt) funebrem pompam auxêre. Ipſe, ne mortuum vivere dubitares, diverſorum oculis conſpicuum ſe manifeſtâ in luce præbuit. Tumulus ejus morbidorum aſylon fuit: ubi oculos ſuos cæci, ſurdi aures, claudi pedes, vitam denique mortui receperunt. Pulvis ejus hauſtus multis ſaluti fuit. Qui hæc, pluraque

alia

alia distinctè scire avet, Michaëlem nostrum Salonium adeat, aut legat, quam ex eo Nicasius Baxius Synopsin contraxit.

EPITAPHIVM EIVSDEM B. THOMAE.

CONDITVR HOC TVMVLO DO. FR. THOMAS A VILLA NOVA, ARCHIEPISCOPVS VALENTINVS, DIVINI VERBI PRÆDICATOR EXIMIVS, QVI CHRISTI PAVPERES BENIGNA QVIDEM MANV NON SOLVM VIVENS FOVIT, SED AD EXTREMVM VSQVE SPIRITVM AMPLISSIMIS ELEEMOSYNIS EST PROSECVTVS. OBIIT DIE NATIVITATIS VIRG. MARIÆ, ANNO M. D. LV.

Scripsit

CConciones doctrinâ & pietate uberes, de tempore & Sanctis.

Commentaria in Cantica Canticorum, inperfecta. quæ unà cum concionibus excusa sunt operâ M. Petri de Vzeda.

Ibat ut ad superos THOMAS (*mirabile dictu!*)
Res eadem juvit, distinuitq; virum.
Namque trahebatur sursum plus millibus octo;
Et tamen hunc eadem vis retinebat humi.
Mirabar tacitus, cùm vox ita fertur ad aures:
Quam spectas inopum est tam numerosa cohors.
Hi plenum meritis tollunt, retrahuntq; vicissim,
Et mens in partes scinditur ipsa duas.
Propensis animis gaudent super astra levari:
At tamen hunc terris non superesse dolent.

B. IOANNES SAGVNTINVS, Ord. Erem. S. AVGVSTINI,
Salamanticæ Patronus; inteſtino bello hanc ciuitatem
liberauit. obiit Anno M ccc lxxix.

B. IOANNES SAHAGVNTINVS, SALAMANTICENSIVM PATRONVS.

QVI IOANNEM Gonſalvi *de Caſtrillo*, viri nobiliſsimi filium dicunt, nugas ajunt; MARIÆ filius fuit: à quâ eum pater cum Sanchâ matre creberrimis jejuniis, vigiliis, & aſsiduâ oratione tandem impetrarunt; deinde ſic eduxerunt, ut MAGNA MATRE non indignus videretur. Primis ſtatim annis non obſcura pietatis argumenta dedit: quando aliis pueris ad ludos abeuntibus, ipſe templa obivit, aut quæſivit aliquem ad orandum ſecretum angulum. Rixâ inter ſe contendentes (uti ea ætas amat, pro levi, quo ſunt, animo, ob leves nugas, non leviter iraſci) monuit ad concordiam redire miſsis jurgiis: quos interdum editiori quoque è loco non puerili ſermone, robuſtæ eloquentiæ præludio, ad frugem bonam cohortari viſus eſt. Parentes tam bonæ mentis initium

Cœno-

Cœnobitis in urbe Benedictinis commendarũt, melioribus artibus, & constanti virtute imbuendum. Porro quàm egregiè in religiosâ hâc scholâ profecerit, satis ostendit; quando beneficiũ, quod parentes obtinuerant, quo per ætatem nondum ei frui licebat, detestatus, in capacem alium id transferri voluit. Adscriptus in familiam viri sanctissimi Alphonsi Burgensis Episcopi, obsequium suum maximè pauperibus probavit. Quare in honore habitus, ab eodem invitus in sacerdotem ungitur, & Ecclesiæ Canonicus, Rectorq; designatur. Sed nihilo ditiorem eum fecêre amplissimi reditus, quos omnes in egenos dispensavit. Neque tamen sic omnibus se scrupulis expedire potuit. Domum ergò Episcopi deseruit, beneficiis Ecclesiasticis remisso nuncio, & ad sacelli admodum exigui tenuem præfecturam transiit; ubi ad populum frequenter pro concione dixit tanto cum zelo, ut Paulus alter haberetur. Contigit per ea tempora Salamanticenses odio inter se capitali dissidere, tantamque civium stragem edi quotidie, ut urbi clarissimæ ultimum excidium imminere nemo non auguraretur. A Rege Castellæ Henrico III. missi viri gravissimi, qui odiorum istos ignes suâ auctoritate extinguerent, æthiopem laverunt. IOANNES tandem

illuc

illuc advolat, efficitque apud furentes dulci & benesuadâ oratione, ut cives eum veluti Angelum pacis amplexati, novo inter se amicitiæ fœdere postliminiò coaluerint. Illic dum verbo Dei seminando se gnaviter impendit, in Rectorem S. Bartholomæi assumitur. quod munus administravit non perfunctoriè, annis quatuor. Sed cùm illi & saluti animarum, quam ardenter sitiebat, non se satis posse facere arbitraretur, dedit se in contubernium Petri *Sanchez* Canonici Cathedralis; ut commodiùs ægros captivosque solatio & operâ suâ refocillaret. Quanto in mœrore Collegæ jacuerint ob Rectoris sui discessum, satis indicat gratitudinis tessera, quam ei perpetuam super Collegii portam dedicavêre. In latere enim siniſtro eminentissimi viri Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis statuam; in dextro vivam IOANNIS effigiem posuerunt, cum hâc epigraphe;

BEATVS PATER IOANNES SAHAGVNTINVS
BARTHOLOMÆÆ DOMVS FAVSTA
PROLES.

Dum ergo ad sanctiorem vitam totis animi viribus connititur, calculi eum morbus invadit, affligitque tam impotenter, ut ad momenta singula animam agere videretur. Medici Regii acciti monent IOANNEM, præpararet ad iter commune

ſacrum viaticum ; ſpem omnem diuturnioris vitæ eſſe inciſam , niſi periculoſæ inciſionis ſupplicia pati fortaſſe malit. Quid ageret IOANNES? Statuit ſe chirurgorũ lanienæ committere, quando priùs ſalutem ſuam ſupremo Archiatro commendaſſet. Factâ ergò ad eum prece, vovet aliquam ex ſanctis Religionibus amplecti, & ſanctiorem ſervitutem Deo ſervire, ſi longiorem vitam vivere per eum ſibi liceret. Dixerat : & ecce, abſterſum velut ſpongiâ malum ſenſit , mortem jam nullam timens, aut indigens ope chirurgorum. Voti damnatus , diſtulit tamen eo ſe liberare,donec illuſtri oſtento ampliùs moneretur. Occurrebat ei per viam mendicus lacero centunculo malè tectus,nuditati ſuæ modicum velamentum flagitans : in quam IOANNES miſericordiæ oculum, deinde veſtem ſuam meliorem conjicit, arbitratus ſe ipſi Chriſto dare, quod in pauperem contuliſſet. Quàm non falleretur, Servator nocte inſequenti oſtendit, qui IOANNEM ore adſpectabili inviſit,docuitque familiariter arcana multa cæleſtia , quæ enarrari non poſſe, cum Apoſtolo palàm deinde profeſſus eſt. Eo gaudio delibutus , facto mane rectà ſtatim tendit ad monaſterium Auguſtinianum,quod Salamanticæ tum ad antiquæ obſervantiæ leges revocatum,ſanctitatis ru-

rumore differebatur, institutumque monasticum avidissimè arripuit. Vbi, licèt Theosophiæ gradu & ætate grandior, inter neophytos nullam sibi prærogativam indulgeri voluit, paratissimus vilissima etiam munia cum aliis obire. Cùm ergò triclinii curam, & condi-promi molestiam illi Cœnobiarcha imposuisset, eoque anno vineæ totâ Hispaniâ parum vini, nostra non nisi exiguum unum vasculum reddidisset; ipse tamen non ideò minùs liberaliter Fratribus suis ministravit, vino quotidie sub ejus curâ ita miraculosè crescente, ut ad sequentem vindemiam suffecerit. A professione tirones instruendos suscepit. quod muneris non nisi in admodum probos & bene probatos antè viros conferri solet. Ille autem id administravit tam egregiè, ut non multò pòst in Provinciæ Diffinitorem suffragiis Fratrum adlectus; &, quod nullibi gentium in Ordine Augustiniano usurpari hactenus auditum, magistratus hic ei totis sex comitiis prorogatus sit. Tandem monasterii quoque Salamanticensis summa præfectura ei demandata est. Quo in munere sanctè se gessit, eamque Fratribus disciplinam præscripsit, quæ in nostra usque sæcula ætatem servat; ut ab illis ipsis IOANNIS temporibus nunquam sancto

aliquo Dei ſervo caruiſſe credatur, adeoque *Sanctorum Conventus* apud Salamanticēſes paſsim audiat. Vt omittam ceteras virtutes, quæ in eo inerant eximiæ, ſingulari erga Deum amore, incredibili erga mortales charitate æſtuabat. Dicta ejus & cogitata omnia de uno Deo erant; quem veluti præſentem indefeſsâ oratione conveniebat, toto eo tempore quod à concionibus, & confeſsionibus, aliiſque muniis vacuum habere poterat. A precibus matutinis reliquum noctis meditationi tranſcribere ſolitus, adverſarios habuit malos genios, qui horrido eum vultu ab orando abſterrere, terrifico ſæpè boatu contrà ululare, nonnunquam etiam plagis malè multare auditi ſunt. Ille tamen minùs nihilo turbabatur: ut ad infernalem ſtrepitum momento quidem temporis à precando deſiſteret. Non ignorabat enim in agone hoc ſpectatorem IESVM ſuum adeſſe, quem inter ſacrificandum quotidie conſpicuum habebat; non ſub panis velo, ſed qualem Angelorum oculis mortales invidemus. Vt non mirum ſit ei aliquando ad aram ſtanti lacrimas tam largiter defluxiſſe, ut pavimenta & veſtes fletu maderent. Neque fides neganda ſacris Virginibus Madregalenſibus, quæ eum litantem in ſublime corpore ſuſtolli

ſtolli animadverterunt. Nam quo eum modo terra teneret,qui abripiebatur quotidie jucundiſſimo Servatoris ſui ſpectaculo ; quem non tantùm exterioribus videbat oculis , ſed ſacris quoque vulneribus ejus mellitiſsimis inhærebat oſculis, familiari alloquio fruebatur,audiebat multa divina myſteria , & ſolatiorum cæleſtium pleno imbre perfundebatur ? Inde credo hauſiſſe illum amorem , quo erga omnes homines ita ferebatur, ut pro cujuſvis ſalute ſanguinem vitamque profundere paratiſsimus, inter duellantes medium ſe non ſemel objecerit , malueritque corpus ſuum, quàm tot animas periclitari. Indidem ea in dicendo libertas , quam vitæ ſuæ antehabuit: ut in vitia & vitioſos homines, lenones preſertim &Veneris nepotulos acerrimè inveheretur;Principum virorum aures vellicaret,& non licitos eorũ amores ſcripturæ gladio palàm iret oppugnatum. Et verò conſtitit operæ ſuæ fructus,quamplurimis è carnis volutabro retractis ſordidis animis. Sed & merces ſua IOANNI conſtitit , qui contumelias & verbera in lucro poſuit , protruſuſque in cœnum , maximam ſcilicet inde voluptatem hauſit. Tametſi non tam æquo ſemper animo Superi, quàm IOANNES , injurias eas toleraverint. Certè lingulacas aliquot

mulieres, quæ viri innocentiam malo rumore aſperſerant, cælum vindex infami nece caſtigavit. Et ſicarii in IOANNEM emiſsi, cùm ad eum obtruncandum brachia ſuſtuliſſent, obriguêre tamdiu, dum facilis in hoſtes ſuos medicus IOANNES precibus ſuis emolliit. Omitto cetera: hoc addo. Quia eum bene puris, limpidiſque oculis eſſe oportuit, quem quotidiano ſui adſpectu Servator noſter dignabatur, facile illi erat in aliorum animis occulta ſenſa percipere, & diu pòſt futura multò antè prævidere. Itaque Argus jam totuſque oculeus, fatum quoque ſuum, & diem non ignoravit, quo ad Dei & ſuam MATREM abiit, qui fuit menſis Iunii XI. cùm ad eam ſalutandã æris campani ſigno omnes monerentur, anno à Redemptore nato ∞. CCCC. LXXIX. Integerrimo ejus animo teſtimonium dedit corpus anno ∞. IↃ. XCIX. adhuc repertum ab omni putredine intactum, & gratum ſuavemque odorem exhalans. Miracula, quæ poſt ejus obitum contigerunt, hâc paginâ adſcribere novum eſſet miraculum. Qui volet pluria intelligere, legat vitam ejus à Georgio Maigretio Gallicè, Latinè à Nicaſio Baxio editam. Tam multa autem cognoſcunt cum Sahaguntinis Salamanticenſes, ut eum ſibi Tutelarem Patronum conſtituerint, &

ad

ad diem ejus feſtum, quem jejunio ſolenni præveniunt, feriali cultu celebrandum ſeſe jurejurando ſacro obſtrinxerint; Reges deinde Catholici Ferdinandus & Iſabella, Carolus V. Imperator, Philippus II. & III. Reges, Epiſcopi & Antiſtites Eccleſiæ, catalogo Sanctorum inſcribi, à Romanis Pontificibus multis precibus rogaverint; Gregorius denique Papa XIII. & Clemens VIII. in Beatorum numerum aggregarint.

Lucidum cæli decus, atque ſtella,
Quæ ſolo latè rutilans Ibero,
Nuper illuxti, face non remotâ
Aſpice terras.
In tuas laudes animoſa ſurgit,
Sed jubar tantum refugit Thalia,
Non potens vitam gracili ſtupendam
Dicere verſu.
Tu voluptates ſalebraſq́, carnis,
Et ſtrophas ſæcli malè dulcis, antè
Noſſe quàm poſſes, tenerâ beatus
Indole vincis.
Se tibi monſtrat niveæ figurâ
Frugis abductâ Puer, & lacertos
Explicat gaudens; roſeoq́, nectar
Dividit ore.
Quis tuas cantet lacrimas preceſq́,
Atque ſingultus? neque par es ipſe
Gaudio tanto: neque par idipſum
Muſa referre.

BONA-

I. Fran. in.

B. BONAVENTVRA PATAVINVS Ord. Erem. S. AVGVSTINI, Scriptis, legationibus clarus, Cardinalis tit. S. Cæciliæ, pro ecclesiastica libertate in ponte S. Angeli Romæ telo confixus fuit.

BONAVENTVRA PATAVINVS, CARDINALIS MARTYR.

BONAVENTVRÆ auſpicatiſsimum nomen melior fortuna decoravit geminâ purpurâ illuſtris. Alteram à Romano Pontifice virtutis & doctrinæ ornamentum accepit; alteram colore ſibi domeſtico, id eſt ſanguine tinxit. Vtra pulcrior fuerit, tute arbiter eſto. In Divi Auguſtini familiam adſcriptus, pietati primùm, deinde ſacris litteris ſtrenuam operam navavit. Illam ubique, has verò Pariſiis publicè per duo luſtra profeſſus eſt. Vtriſq; clariſsimus ad clavum Ordinis ſui adhibitus anno poſt orbem reſtauratũ ∞. CCC. LXXVII. ſuffragantibus ei Patribus Veronæ congregatis, provinciam ſibi commiſſam tam prudenter ſanctéque adminiſtravit, ut non inidoneus Pontifici videretur, qui legationes pro Eccleſiâ ad hos, illos Principes obiret. in quo ſplendidum eloquentiæ ejus lumen enituit, quando maximum operæ pretium ſedandis ſchiſmatum tumultibus

fecit; adeoque honorem illum, ſi quis alius, promeruit, quo in ſacratum Ordinem Senatorum deinde adlectus eſt. Vrbanus ergo VI. creatione Cardinalium III. galero illum purpureo, & titulo S. Cæciliæ donavit, atque Eccleſiæ ſanctæ columnam immobilem eſſe juſsit. Quàm non in indignum hæc prærogativa dignitas collata fuerit, neceſsitatis articulus docuit. Vexabat Eccleſiam Franciſcus Carrarienſis Patavinorum Regulus, & jura ejus imminutum ibat, tyrannicum in modum. Patavinus noſter, æqui juſtique amator unicus, & ſanctæ libertatis aſſertor vindexque acerrimus, cum Principe potentiſsimo congredi non eſt veritus. Modeſto primùm alloquio injuſtum factum ei ob oculos ponere; contumacem deinde pro concione & propalam acerbiùs reprehendere; ſcriptis denique audaciſsimè & conſtantiſsimè in tyrannum invehi, &

Auriculas teneras mordaci radere vero.

Sed hoc erat crabronem irritare, cujus aculeum non minùs generosè excepit. Franciſcus enim videns non poſſe divinum illud Chriſtianæ libertatis os obturari, dedit operam, ut everteret. Miſsi ab eo Romam ſicarii, qui Cardinalem ad Concilium itantem obſervarent, & è medio tollerent. Factum id in ponte Aelio, quem S. Angeli dicunt,

dicunt, ubi BONAVENTVRA telo emiſſo confixus Eccleſiæ auctoritatem ſuo ſanguine obfirmavit. Vt non immeritò poſt Volaterranum, Trithemium, & Pamphilum recentiores auctores martyrii palmam ei detulerint. De anno martyrii ſcriptores variant. Panvinius occubuiſſe vult an. ∞. CCC. LXXXVI. Bzovius ∞. CCC. LXXXIX. Maigretius in Martyrographiâ ∞. CCC. XCIX. Cruſenius p.3.cap.21. cum Pamphilo aſsignat an. ∞. CCC. XCVI. Sed non video cur Onuphrius fidei jacturam hîc pati debeat.

Libri ejus, qui prodierunt, ſunt

In libros ſententiarũ Commentaria quatuor tomis diſtincta.
Meditationes valde piæ in vitam Chriſti.
Speculum Mariæ, editum Auguſtæ 1476.
Vitæ Sanctorum.
Commentaria in Canonicam S. Iacobi Apoſtoli.
Commentaria in Canonicam S. Ioannis.
Sermones de tempore.
Sermones de Sanctis.
Sermones ad Clerum.
Ternarium ſive trinum bonum de regimine conſcientiæ.
Breviloquium.

Quæ BONA tam cupidè cælo VENTVRA rogabas,
In te, livoris miſſa ſagitta dedit.

BONSEMBLANTES,

BONAVENTVRÆ

Cardinalis frater.

POllucem dedi: addam Caſtorem. BONSEMBLANTES is eſt, ex eodem utero, quo Bonaventura genitus; ſed & ipſe fato immaturo vetitus diu lucere. Nunquam anteà de ullo alio ſpem ampliorem Religio Auguſtiniana concepit; nunquam poſteà magis fruſtrata eſt. Erat enim juvenis ingenio ſubtiliſsimus, ore facundiſsimus, vitâ innocentiſsimus. Sed, ut dixi, cùm plenis jam radiis fulgere cœpiſſet, ante Pollucem, ſubitâ mortis violentiâ extinctus eſt. Non eſt opus hîc longum illi elogium attexere; ſatis magnificum BONSEMBLANTIS encomiaſten habemus, doctiſſimum virum Franciſcum Petrarcham, qui in epiſtolâ ad fratrem Bonaventuram lugubri penicillo virtutes ejus graphicè ſatis adumbrat.

FRAN-

FRANCISCVS PETRARCHA
BONAVENTVRÆ EREMITÆ S.

Conſolatoria ſuper morte fratris.

QValem proh dolor! virum, quod ſidus amiſimus. loquor impropriè, & torrente rapior vulgaris eloquii; nihil amiſimus, niſi gratum, delectabilemque convictum, & illius melliflui oris affatus; quo loquente audientium animis, virtutum acres infligebantur aculei; quo docente nemo non proficere poterat: eoq; magis, quò majori eſſet ingenio. Hæc & his ſimilia, aliquantò citius, quàm vellemus, nobis prærepta, non nego: quæ tamen in hoc breviſſimæ vitæ curſu, ubi longum nihil, niſi dolor & gemitus, longæva nobis eſſe non poterant; ſed neceſſe erat, ut confeſtim aut nos illum, aut ille nos præcederet. Cæterùm hoc utcunq;: neque enim rei tam labilis, tam caducæ gravis prorſus, ac flebilis eſt jactura; ipſum certè, quem amavimus, & quem ſemper amabimus, ipſum, inquam, non amiſimus, ſed præmiſimus; qui nobis ad cœlum ſuis precibus viam pandat, nos ibi alacer ac jucundus expectet. quò enim, niſi ad cœlum abiiſſe, illum ſuſpicer, qui etiam dum hîc eſſet in terris, & ſub mole corporeâ angelicis moribus & cæleſti viguit intellectu. Nolim tibi nunc, quod præſenti ſibi nunquam feci, de tanto, tamque unico fratre

Lib. XI. rerum ſenilium epiſt. XIV.

blandiri; sed humana laus, cujuscunque in auribus meliùs sonat, quàm ipsius, qui laudatur. Ita verò me ille amet, cujus in amore felicitas vera est, ut ego viventium famâ fortè aliquos, neminem sibi vel ingenio, vel eloquio, vel morum suavitate præferendum novi; quæ tanta illi inerat animæ, ut ab ipsius verbis, & congressu, nunquam nisi lætior, tranquilliorque discesserim; neque mihi unquam tam longa confabulatio secum fuit, quin cupidis auribus meis, atque animo sitienti, brevissima videretur. Erant enim inter verba illius hominis, faces quædam blandæ, & lucidæ, præter communem morem, eorum quoque quos Magistros dicunt, erant in sermone hami inescati dulcibus sententiis, qui audientium corda, vaga quamvis, arriperent, ac tenerent. Quæ mihi colloquii facultas, etsi rarior foret, distrahentibus nos studiis nostris, humanarumque varietatum, his, qui sunt innumerabiles, uncis ac laqueis, qui sæpè animo junctissimos terris & corpore distrahunt, vel absens tamen illo ingenio delectabar, hinc amici memor absentis, hîc illius præsentiam & cogitans, & expectans. quâ in re quantũ vitæ hujus in agone perdiderim, mœstus sentio, mœstusque mecum computo. quotiensq; Hieronymianum illud, in silentio tuo simul & meo nomine repetam; Non meruimus talem vitæ habere consortem? Nam etsi jacturam rei transitoriæ, non nimis flendam viro dixerim, ferè tamen mortales mortalium sunt jacturæ, quarum ex numero ea profectò gravissima est. Sed incommodum nostrum, quan-

quantumcunq; eſt, fraternæ felicitatis contemplatione conſolor. Nam & hîc maluiſſemus bene illi eſſe, ſine nobis; quàm nobiſcum malè. De fratre igitur noſtro, quem tibi mater, mihi charitas fecit, gratulandum nobis potiùs, quàm dolendum. quamquam enim ad tempus nos reliquerit, illuc ivit, ubi finis eſt omnium rectè viventium, pieque philoſophantium, quorum hic noſter in acie, dicere auſim, vel ſignifer, vel dux fuit. Neque verò ad injuriam naturæ, ſed ad cumulum gratiæ cæleſtis aſſcripſerim, quod paulò ante tempus, ut dici ſolet, durum hoc, & ſcrupuloſum iter implevit. Tale eſt enim, quale ſi viator hyberno pluviali die ad hoſpitium ſoſpes, integer, indefeſſus, alto adhuc ſole perveniat, quò alii feſſi, & madidi, & viarum erroribus eluſi, vix tandem ſub crepuſculum ſint venturi. Nobis fortaſſe compatiendum, qui relicti ſumus, non quòd illum amiſerimus, ut dixi, qui nunc maximè noſter eſt, ſed quòd inter mundi mala, & pericula noſtra ſeneſcimus, & ab illo exoptato ac felici hoſpitio retardamur. Proinde ſerenandus animus, ſiccandæ lacrymæ, comprimenda ſuſpiria, non autem abjicienda memoria, ſed ad illam frater, ut vivus, non ut mortuus, revocandus. Vivit enim verè cum illo, apud quem fons vitæ eſt, qui ſibi, cui multa olim, & magna ſcripturarum ſuarum ſecreta revelaverat, nunc ſeipſum & illam, quam ſtupentes Angeli, venerantesq; ſuſpiciunt, faciem oſtendit. Magna ille dudum gloria patriæ, magnum Ordinis ſui decus & eximium fuit. Et quamvis tu ſuperſis,

non

non omittam tamen. Quis non hominum vos ſpectabat oculis atque animo ſuſpenſus, præſertim ubi caſus aliquis fortè vos jungeret, in conſeſſu publico, aut in viâ? quis non vos amabat, & laudabat, & mirabatur? fraternitas ipſa miraculum addebat, ac raritas: par ſtatura, eadem quaſi corporis habitudo, una propè duobus fratribus ætas erat, una certè profeſsio, una converſatio, unus habitus, una religio, unus ordo, unus ſplendor Magiſterii. Pluris æſtimabantur tales duo fratres, quàm quatuor alii, pares licèt. Felices parentes dicebantur, qui tale par hominum genuiſſent. Felix Patavium, ubi geniti eſſetis, & nutriti: nihil eſt enim, quod unamquamque patriam tam felicem facit, quàm ſuorum civium virtus & gloria. Vnde apud Virgilium, Roma quamvis opibus pollens & imperio, non aliâ tamen re, quàm prole virûm felix dicitur. Felix denique Eremitarum ordo, in quo edocti, & inſtructi, ad hoc ſcientiæ culmen, ad hanc gloriam veniſſetis. Nunc de parentibus quidem nil pronuntio, quos pridem ab hâc luce ſubtractos, reor, patriæ quantum decreverint, atque ordini, ſentire; illos jam nunc arbitror, & in dies magis magiſq; ſenſuros; ſibi verò, qui hinc abiit, niſi quòd dolorem noſtrum ægrè illum ferre non dubito, nihil penitus decrevit, ſed accrevit immenſum, ut qui pro corruptione terreſtri, cæleſtem incorruptionem, progq; temporali hâc morte vitam ſit adeptus æternam. Qui ad me (juvat enim meminiſſe) longâ & gravi jactatum ægritudine, tum cùm

ſero

ſero illo ultimo veniſſet, heu! nunquam ampliùs reverſurus, mane autem fatalem ſibi petiturus locum, ita me invitus, tandem nocte jam ſermonem dirimente deſtituit, quum animo provideret, inter nos hîc fore colloquium illud extremum, utque ego tum primùm me ægrotum intelligerem, quod eo præſente non ſenſeram, paucis diebus interjectis, mane quodam, qui ſibi ſolennis & perpetuus mos erat, cùm Miſſam devotiſſimè celebraſſet, non multò pòſt ſeria inter verba cum amicis, repentè ſe deficere cognoſcens, ſuam in cellulam properavit, lectuloq; acclivis, Davidicum Pſalmum illum famoſiſſimum, Miſerere mei Deus, *incipiens, antequàm expleſſet, religioſam illam, atque (ut ſic dixerim) exceptæ actionis animam exhalavit. Ita Deo redditus, nobis autem, quod ait Hieronymus de Bleſilla, ſubitâ morte ſubtractus eſt; quo de genere mortis, ut perpropriè ad rem noſtram, ait Cicero, dictu difficile eſt, quid homines ſuſpicentur; Mihi de hoc nec loqui nec ſuſpicari aliud, ſed illud potiùs opinari libitum ac licitum, Salvatorem noſtrum* IESVM *Chriſtum, qui mane eum mensâ dignatus eſt, ſero illum & æternæ cœnæ deliciis, & thalami cæleſtis habitaculo fuiſſe dignatum. Hoc ille meruit. Hoc ego ſpero, hoc precor, hoc cupio. Quantùm ſanè me torſerit illa commemoratio, non facile dictu eſt, quòd eo ipſo die, quo Venetiis ille bene natus obierat, dum nos Patavii eſſemus, & tu de more ad me viſendum veniſſes ad veſperam, interque libellos noſtros, quod libenter, & nimis humiliter*

ſoles, conſediſſes, atque ego, & quos de fratre rumores haberes, quæſiviſſem, proſperos reſpondiſti, cùm ille ſub meridiem exſpiraſſet, at rei nuntium, & diei brevitas, & fluminis impetus diſtulerat. Itaque die proximo cùm & illum obiiſſe, & te abiiſſe didiciſſem, quotiens putas Virgilianum illud mœſtus exclamaverim?

Neſcia mens hominum fati, ſortiſq; futuræ.

Imò quidem fati, ſortiſq; præſentis neſcia mens hominum. Multa ecce dixi, vereorq; ne nimia. Et ô! ſi mihi calor ille ad ſcribendum eſſet, qui juveni fuit, quantum adhuc tecum de præmiſſi fratris ingenio, de doctrinâ, de eloquentiâ, de virtute, de moribus agerem? uberrima nempe materia eſt; qui etiam hoc ipſo ſenilis animi, non dicam frigore, ſed tempore plura dicerem, niſi quod excire tibi, & mihi lacrymas nolim, quas ſopire potiùs, & conſilium, & mens eſt. Hæc me ratio multis jam diebus à ſcribendo continuit, uſque adeò, ut vel tardus, quod fatendum ultro eſt, vel tui oblitus, quod fidenter negem, videri potuerim. Vera autem cauſa fuit, ne te minùs forſan idoneo tempore interpellans, & hinc tædii aliquid afferrem, & inde dolorem non minuerem, ſed augerem. Conſultò tibi ſpatium dedi, quo, cùm pietati non indebitas lacrymas reddidiſſes, reliquas & rationis imperio, & amici conſilio ac prece detergeres. Vale, & qui ſolari alios noſti, optimè te ſolare, conſolatorq; ſpiritus conſoletur. Tuâ in domo ruſticâ collis Euganei. Calend. Novembris.

Scripſit

Scripsit BONSEMBLANTES
teste Iordano de Saxoniâ,

Vtile opus ſtudentibus.
Sermones multos ad Clerum.
Quæſtiones diverſas tam Philoſophicas quàm Theologicas.
Lecturas in 1. 2. *&* 3. *Sententiarum.* quæ Mediolani & Patavii in bibliothecis Ordinis extant, ut aſſerit Epiſcopus Signinus Ioſephus Pamphilus.

Quæ BONA *opes avido* VENTVRA *ſpoponderat*
Pòſt BONSEMBLANTES *orbi funere reſtituit.*
At (ſors infelix!) fratri quod livor ademit,
Hoc BONSEMBLANTI *præcoce Parca nece.*

I. Fran. in.
AEGIDIVS COLVMNIVS, Romanus, Ord. Eremit.
S. AVGVSTINI, Prior Generalis, Archiepiscopus
Bituricensis et Aquitaniæ primas, in numerum
Cardinalium à Bonifacio VIII. adscriptus.
C. Galle fecit.

B. AEGIDIVS COLVMNIVS.

HOc egregium Religionis Auguſtinianæ ornamentum Roma protulit, fœcunda ſemper parens virtutum atque ingeniorum. Origo illi ex nobili eâque veteri familiâ Columniorum, quam virtutum ſuarum decore ad immortalem gloriam illuſtravit. A parentibus mores optimos puer imbibit; adoleſcens à magiſtris hauſit inſignem liberalium artium eruditionem. Ingenio erat ſagaci, acri judicio, memoriâ verò ſuprà quàm credi poteſt, tenaci & capaci. In album fratrum Eremitarum S. Auguſtini adſcriptus, animum, quem pietatis ſtudio dederat, ad ſcholarum quoque exercitia appulit; tanto equidem conatu, ut æquales omnes ſine omni æqualitate antecelleret. Philoſophiæ abdita illi tam clara erant, ut nuſquam hallucinaretur; adyta tam aperta, ut penetraret omnia; ſtudium denique ejus tam jucundum, ut vivere in eo tantùm videretur. Primis hiſce ſtudiis ſatis inſtructum Clemens

Errat Gordonus, qui eum natione Gallum fuiſſe aſſerit, & Gualtherus, qui Ægidium Romanum alium ab Ægidio Columnio facit.

Auximas, Ordinis Auguſtiniani ſupremus Præſes, deſtinavit in Galliam ad nobiliſsimum omnium ſcientiarum emporium Pariſios, ubi cum Auguſtino Triumpho, Theologorum Phœnicem, Thomam Aquinatem audiret. Et verò audivit purgatiſsimis auribus; ejuſque veſtigia tam religiosè legit, ut qui à Thoma palàm diſſentiret, AEGIDIVM alioqui virum manſuetiſsimum, hoſtem inveniret. Invenit certè Guilielmus Lamarenſis, è familiâ Seraphicâ S. Theologiæ profeſſor Oxonienſis, qui tunicæ ſuæ nimiùm amans, alienæ impotenter æmulus, *Divi Thomæ Reprehenſorium*, & *S. Bonaventuræ Defenſorium* impudenti calamo ſcribillare, & in publicam lucem emittere non erubuerat. In hunc ergo ſtrinxit AEGIDIVS ſtilum, & magiſtri ſui doctrinam Pariſiis jam periclitantem, ſpectantemque exilium, tam generosè defendit, ut Schola Lutetiana, omnes denique Thomiſtæ plurimùm *Columnio* debeant. Ceterùm tanta erat in viro animi modeſtia, ut, qui nihil ignorabat, ſcire ſuum nihil eſſe autumaret. Si quando à Thomæ ſui ſententiâ abeundum ſibi putabat, excuſabat tenuitatem ingenii ſui, quaſi argumenta aliter opinantis (cui nullum interim, niſi Magni nomen dabat) non ſatis intelligeret. Vbi verò in falſo-

ſimiles

Nota, quàm Chronologicè Trithemius ſcribat, quando Ægidiū dicit floruiſſe ſub Rudolpho an. 1280 Auguſtinū verò Triumphum ſub Ludovico Bavaro an. 1330.

Alph. Mendoza q. 3. Schol. §. 5.

ſimiles opiniones ſcribendum aut dicendum erat, (quod in ſcholis ſolemne eſt) moderatiſsimo id calamo & placidiſsimâ voce faciebat. Quâ animi demiſsione omnium animos rapuit; ut neſcirent, magíſne profundam ejus doctrinam, an modeſtiæ religioſæ virtutem admirari deberent.

Galliarum Rex Philippus III. cognomento Audax, tanti æſtimavit ÆGIDIVM; ut eum Philippi Pulchri, filii ſui ſtudiis moribuſque præfectum daret: quem ille bonis artibus, ſed magis Principe dignis virtutibus imbuere conatus eſt; & præcepta, non modò auribus ejus inſtillare, quæ inventos abirent, ſed ſcribere etiam poſteris Regibus documenta nunquam intermoritura. Didacticon ergo opus illi dedicavit, *de regimine Principum.* Porro cathedram magiſterii, quam ex Ordine ſuo primus aſcendit Pariſiis, tantâ cum majeſtate implevit, ut poſt Doctores, Angelicum & Seraphicum primas ei Academia meritò lubenſque detulerit. Miraculi loco habendum eſt, quod AEGIDIVS, qui voluminibus tam multis magniſque conſcribendis tot annos impendit, nunquam memoriâ lapſus ſit; ut in ſententiarum ambiguitate, ubi ſentire aliter & aliter ubivis cuivis licet, ille ſemper idem ſentire potuerit, nunquam à ſe diverſus; nihil ediderit tranſverſo calamo aut cen-

Gordonus notat Ægidium ſcripſiſſe lib. de Regimine Principum, anno 1293 quo quid ineptius?

Trithemius. cenſoriâ virgulâ dignum : ut hinc Sorboniſtæ eum Doctoris *Fundatiſſimi* titulo inſigniverint. Fundamenta enim doctrinæ ſuæ jaciebat ubique irrefragabilia ; quæſtiones perplexas enodabat dilucidè, rerum arcana ſolertiſsimè indagabat, dicebat clariſsimè, omnia denique latiſsimè explicabat, ut divinæ juxtà humanæque ſapientiæ ſecretiſsima, ipſis quaſi oculis manibuſque uſurpaſſe videretur. Apud ſuos eam doctrinæ famam collegit, ut Patres Florentiæ in Comitiis Generalibus ſub Clemente Auximate congregati anno ∞. CC. LXXXVII. ſanxerint F. AEGIDII Romani doctrinam in ſcholis eſſe recipiendam, ac omnino defendendam. Verba decreti ſunt. *Quia venerabilis Magiſtri noſtri fratris ÆGIDII doctrina mundum univerſum illuſtrat, definimus & mandamus inviolabiliter obſervari, ut opiniones, poſitiones, & ſententias, ſcriptas, & ſcribendas prædicti Magiſtri noſtri, omnes Ordinis noſtri Lectores & ſtudentes recipiant, eiſdem præbentes aſſenſum, & ejus doctrinæ omni quâ poterunt ſolicitudine, ut & ipſi illuminati alios illuminare poſſint, ſint ſeduli defenſores.* Quam deinde ſemitam ſecuti plerique omnes : præ aliis Iacobus ille Viterbienſis, cui priùs, quàm Archiepiſcopalem Neapoli infulam indueret, ob ingenii ſubtilitatem ſcholæ *Speculativi* cognomentum indi-

Ex Regiſtro Ordinis, & Conſtitut. 5. parte c. 2.

Claruit Iacobus Viterbienſis an. ∞. CCC. X.

indiderunt. Gerardus deinde Senenſis : cujus demortui venerandum caput, ob ſingularem ſcientiam publicâ lauru ſolenniter Academici coronarunt. Denique Ioannes Dathus, Imolenſis Epiſcopus; & quam-multi alii. Philippus verò Pulcher, cùm à Remenſi inunctione Lutetiam novus Rex adventaret, ubi non ignorabat ſe pro ſcholarum more, ſolenni oratione exceptum iri, juſsit eum, cujus præcepta adoleſcens libenter audierat, etiam-tum dicere, & ſe jam virum ac Regem pædagogicâ auctoritate inſtruere. Quod quàm luculentè fecerit, docebit oratio; quam intexere hîc operæ aliquod pretium duximus; ut intelligant omnes in cothurno etiam ambulare potuiſſe AEGIDIVM, qui humili in ſocco repere nimiùm, &, quia ad rerum difficillimarum enucleationem Ciceroniana verborũ lenocinia non adhibuit, barbaricè loqui Iacobo Gretſero viſus eſt. Ita ergò Regem ſalutavit.

Floruerunt Gerardus Senenſis ∞.CCC XL. *Ioannes Dathus* ∝ CCCC. LX. *Dionyſius etiam, à Sigillo, edidit* ∞.IↃ.LXXV. *Peruſiæ in Ægidii opera doctas & accuratas Annotationes Ægidianæ doctrinæ ſquacibus apprimè gratas. Anno* 1235.

E templis, & quaſi è colloquio Dei Opt. Maximi venientes, ac continuò abs te, indulgentiſsime Rex, dicere juſsi, non minore religione apud te verba faciemus, quàm quantâ modò pro te ante aras vota ſuſcepimus. Te quoque eâdem animi pietate auditurum confidimus, quâ, ut ſacræ ſcholæ verbis orationem faciamus, hortaris: ut quæ ultrò in mentem tibi veniunt, ea etiam à tuis accipias, & tecum loqui

Ex Paulo Æmylio de geſtis Francorum lib. 1.

perſæpe ſolitus, vocem etiam noſtram non aſperneris. Quid autem apud novum Regem antiquius, graviusque, quàm de Regno dici poteſt? Nomen enim Regium non in terris natum, excogitatúmve, ſed è cœlo demiſſum mihi videri ſolet. Parens enim rerum Deus, cùm genus humanum condidiſſet, ſummum quidem in illud imperium, juſq; penes ſe retinuit: ſed ut mente in eum ſublimes ferremur; ut illum cupidiùs quæreremus; ut ſpe & votis incenderemur, idcirco in terris palàm ipſe degere, oculiſq; intereà noſtris obverſari voluit, Reges inſtituit; qui ejus vice munereque fungerentur: quorum ut quiſque probitate ad Deum Optimum Maximum accederet, ita veriſſimè Rex vocaretur. Ita omnes eodem conſilio dato, aliâ tamen alii viâ ad laudem contenderunt. Permulti ſingulis ſinguli virtutibus inclaruêre. Audeo prædicare, nullumdum omnibus anteivisſe. Non pauci certè compluribus præſtitêre. Magnus enim campus Regibus patet ad gloriam, & ad eam cuncti mortales, ſed maximè omnium Reges ſtudio incitati feruntur. Digniſſimum enim diademate cenſuerim, qui quidquid in ceteris pulchri paſſim aut legerit, aut audierit, id omne ſibi univerſumque expetat: & quod deſiderarit in aliis, id prætereà ipſe præſtet. Non pigebit me, dum te intueor, magnitudinemq; tuam conſidero, à Perſis exempla repetere: quorum Reges tot gentibus imperitantes, cùm liberos ſuos ipſarum virtutum voce erudiri inſtituique non poſſe cognoſcerent, quod proximum erat, conquiſitione ſum-

ſummorum virorum factâ, quatuor viros ex omni numero deligebant; unum juſtitiâ clariſſimum, alterum prudentiâ, tertium fortitudine animi, quartum continentiâ excellentem. Horum præceptis inſtitui jam inde à pueris Regum filii conſueverant. Quæ diſciplina quamdiu incorrupta permanſit, tamdiu illud imperium maximum Orbis terrarum extitit, & tot pòſt ſæculis etiam apud nos memorabile, ac imitatione digniſſimum. Sed ſatis mirari nequeo, id quod multis antè ſæculis admirationi ſummis ſapientiæ profeſſoribus fuiſſe video; poſt hominum memoriam ſummos Reges, maximoſque Imperatores, ex rebus geſtis, vitæque inſtituto aut fortunâ aliquâ præclara ſibi cognomenta peperiſſe; alios Expugnatores, alios Illuſtres, alios Magnos, alios Felices, alios Auguſtos, alios Pios dictos, alios alio decore nobilitatos: nullumdum Regum, nullum illorum Imperatorum, qui rerum potiti ſunt, Iuſti cognomen ad hanc diem promeruiſſe: eam unam juſti Regis palmam, cognominisque dignitatem ceteris occupatis, reliquam eſſe quæ petatur, quam primam omnium ſummâ contentione peti oportuiſſet: cùm cetera privatorum hominum & multò minùs ſalutaria munera ſint. Cujus rei cauſam quis aliam crediderit, quàm quòd ſunt qui ferant, juſtum hominem majori aliis, quàm ſibi, uſui eſſe: quaſi Reges loco cœleſtium inſtituti, datique idcirco ſint, ut ſibi non Reip. ſaluti commodoque proſpiciant: cùm contrà res habeat, Regesque divinitus generi humano dati ſint, ut in commune

consulant; justitiaque sit ea animi dos, quæ universâ utilitate conservatâ, suam cuique tribuit dignitatem. à quâ qui desciscunt, quamvis in Regio solio sedeant, Regesque in præsentiâ vocitentur; tamen adeò à Regio nomine, judicio sapientũ (quo quid majus? quid & gravius?) absunt; ut ne Latino quidem nomine nuncupari possint. Externo, & peregrino, & temporibus auribusque tuis, & voce pietateque nostrâ indigno, nominantur. Ejus igitur culpæ ratio eadem est, quæ & communis exitii, maximorumque bellorum; quod opibus præstare, id in rebus humanis summum bonum arbitrantur: cùm ea demum ac una magnitudo Regia sit, ut cùm cupiditati animi modum semel imposueris, quàm ceteros mortales magnitudine nominis antecedis, tam benefactis anteire contendas; & eâ inprimis excellas virtute, à quâ unâ reliquæ jura petunt: ejus nutum intueantur, ad eam omnia referant, ab ejus ore pendeant: cujus fidei aliæ rerum summam arbitriumque mandarint, seque ejus administras comitesque profiteantur. Ea haud dubiè justitia est, pro quâ fortitudo, constantia, gravitas nisi depugnet, suum jus, nomenque ac decus amittat, feritas, immanitas, vecordia dicatur: cui sapientia nisi appareat, præstoque sit, malitia, calliditas, fraus, captio necessariò vocitetur. Ejusdem est, cùm hominum genus ex ferâ silvisque in urbes mansuetudinemque exciverit, legum ac instituto-

rum vinculis conjunxerit, consociaritque, dare operam, ut probi mores vigeant; pietas, fides, pudor, modestia, continen-

tinentia, temperantia colatur. Quin ipſa liberalitas, quæ prodeſſe velle ſe, ac augere multos gloriatur, niſi ſine injuriâ, ſine maleficio alterius id faciat, niſi juſtitiæ veſtigiis inſiſtat, cujus ſe germanam atque maximè geminam prædicat; omnis commendationis dignitatiſque ſit expers; priusquàm alios ſpoliet, quàm aliis largiatur. Eadem & magnificentiæ & munificentiæ eſt, ut ab injuriâ procul faceſſat: & unius juſtitiæ nomine omnes contineantur, ea omnes ſit: eam vim ſuam etiam ſanctam mortalibus teſtetur: quòd cùm quænam mortalium generi tuendo debeantur, præſcripſerit; cælum etiam ſuſpiciens, illi in animis hominum venerationem cultumque reddat: pietatem & religionem, templa, ſacra, ſuperis impertiat, ſummumque mundi artificem velut coràm contemplata, imitandum ſibi proponat: &, quemadmodum ille ſigna, ſidera, cœli motus, temporum viciſſitudines, ſempiternâ certaq; lege devinxit, à quâ deficere nequeant; ita ipſa terreſtribus his apud nos Regnis, ſi perpetua futura ſint, ſalutares leges juraque præſcribat. Hæc igitur juſtitia terris incedens, ac cœlum cervice contingens, ita ſibi nihil ipſa petens, nihil captans, ſua cuique tribuit, ut ei nihilo ſeciùs genus hominum, resque omnes ejus beneficio incolumes, ſceptra aſſignent, ſimul qui juſti legitimique Reges à parentibus, more, inſtituto, & legibus, conſenſuque Regna acceperint, nulli rei plus quàm juſtitiæ debuerint. Majus enim certiusque matrimonium, ac ampliores facultates, ab eâ acceperunt, quàm à

parentibus. Illi enim opes, gazam, arma, arces, præsidia tradere potuêre: ut veri justíque Reges sint haberentur; que ipsi, ac liberis deinceps per manus eadem relinquant, id munus ejus Reginæ sit. Cur enim Iustitiam Reginam vocare dubitemus; quæ Regna tradat, tueatur, sancta efficiat? adeò, ut etiam si id verum credatur, quod & Proceres sapientiæ nonnulli dixêre; Iustum plus aliis prodesse quàm sibi: dissimulari tamen non possit, veros Reges, eosque inprimis qui Regibus orti, generaturi Reges sint, ei Reginæ accepta omnia ferre debere: quam & ipsos in se colere, & ceteris præstare conveniat. Et ut omnia semel complectar, religionis, moderationis, fortitudinis, prudentiæ, liberalitatis, Iustitia parens est: nec divelli à Rege potest, Regio nomine incolumi. Nec difficile est factu, eam præstare; non æquè cetera. Etenim sapientia ingenii indoles est, quam nullus efficere, creáve sibi potest. Naturæ bonum ac Dei donum est. Fortitudo quoque vis quædam & magnitudo animi censetur, ac id mentis robur ferè, ut cuique insitum est specimen, cernitur. Quid quòd continentiam facilem aut difficilem corporis dos habitusq; præstare videri possit. Iustitia aut à solâ voluntate proficiscitur, &, ut quisque vult justus, secúsve est; aut facillimè omnium Regiis ingeniis se ultrò discendam præbet. Forma corporis, oris dignitas, frontis gravitas, vultûs majestas, fulgor, vigor, ac lumen oculorum (quando maximè inclyta cœlestium munera repudianda dissimulandáque non sunt) spe-

ſpectantes movet, tenetque, ac admonet, quænam ſpecies primi à ſummo artifice initio rerum creati hominis fuerit: qualesque quicumque juſtè regnarint, futuri ſint in illâ felici immortalitate. Quòd ſi corporis pulchritudo tanti eſt, ut quodam ſui miraculo reliquos afficiat: quid ſentiendum eſt de illâ pulchritudine, quæ eſt animi verè Regii, quæ ſimillimum Superis facit? Age, macte indole animi, ſpeque mortalium, hanc virtutum Reginam Rex in conſilium ſemper admitte: ejus ſpeciem animo concipe, ad eam te conforma, eamque intuens te compone. Quàm ea te delectabit? Quàm mirum ſui amorem apud te excitabit? Quàm te cæleſtibus charum acceptumque efficiet? Quantam tibi majeſtatem apud tuos, apud alienos conciliabit? Quàm te immortalitati nominis conſecrabit? Is demum optimus Rex erit, ac minimè rerum inclinationibus, temporumque communium mutationibus, & publicis caſibus (qui ſummis Imperiis, ubi aliquid labat, ferè accidere, ut humanis corporibus morbi, conſuevêre) obnoxius, qui eam ſemel pectore admiſerit, ac deinceps ejus conſuetudine tenebitur: nec ipſe modò felix, ſed &, quod proprium Regum eſt, ſuos felices efficiet. Præguſtans, quanta quamque ſolida futura ſit, illa inter ſuperos ſumma æternaque felicitas, quam optimis Regibus juſtiſſimisque deſignavit divinum Numen. Hujus ut apud nos partes interea ageres, hoc ſolio velut in editiſſimâ terrarum ſpeculâ ſedes.

Si hoc quoque Gretſero barbaricè loqui eſt, certè

certè illâ iſtâ ſuâ barbarie AEGIDIVS Regis non barbari animum ita commovit, ut Iuſtitię, quam mortalium flagitia terris proſcripſerant, poſtliminiò in Galliæ regiâ urbe domicilium perenne conderet, & ſacrum *Parlamenti* tribunal dedicaret. Porrò intra Lutetianæ Academiæ parietes latere Vir tantus non diu potuit. Sub initium anni ∞. CC. XCII. coactus Patrum Auguſtinianorum Senatus Romæ in cœnobio S. Mariæ de populo, unanimis ſuffragiis COLVMNAM ad Religionis univerſæ clavum alligarunt. Quàm invitus, tum oneri humeros ſubmiſit, tam ſedulus deinde cõmiſſam ſibi provinciam adminiſtravit. Nunquam plus incrementi accepit Ordo Auguſtinianus quàm ſub hoc Præfecto, quem à ſapientiâ & ſanctitate, duabus profectò religionis gemmis, totus Orbis venerabatur. Religioſi Fratres de pœnitentiâ IESV Chriſti, à vili veſte Saccitæ vulgò nuncupati, cùm à priori vivendi inſtituto quotidie ſe deficere animadverterent, ad Eremiticæ vitæ amorem AEGIDIANO exemplo accenſi, locum, quem à Divo Rege Ludouico ſibi Lutetiæ deſignatum annis non ampliùs triginta duobus incoluerant, ſedeſque ſuas, & larem ſacrum illi ceu Ordinis ſupremo Præſuli obtulerunt, pactiſq; conditionibus pridie Eidus Octobreis

Claudius Robertus in Galliâ Chriſtianâ. Bzovius ad an. 1285. n. X.

Renatus Chioppinus Monaſt. lib. 1. tit. 1. num. 15. Iacobus du Breul in theatro Antiqu. Pariſienſium.

breis ∞. CC. XCIII. tradiderunt; cùm priùs mense Aprili liberalem Philippi Regis Pulchri gratiam, & Simonis Parisiensis Episcopi benevolum assensum impetrasset. Regem Anglorum sibi devinxerat *Commentario* illo, quem *in libros Posteriorum Aristotelis* scripsit, flagitante Stephano *de Mauley* viro principe inter Britannos: ut huic uni ejus lucubratiunculę debeamus monasteria, quæ in illâ Insularum omnium maximâ obtinuimus plurima optimaq́;. Guidonem Flandrię Comitẽ sibi conciliavit, dum filio ejus Philippo obsecundat roganti Elenchorum Sophisticorum sibi libros illustrari: ut huic illius scripto etiam acceptum referamus, in principe urbe Gandavo monasterium, quod *Borlutii*, potens ibi familia, in suo nobis fundo erexerunt. Quid dicam de immortali beneficio, quo Pontifex Maximus Bonifacius IIX. immò Ecclesia illi universa obstricta fuit? Exemplum nunquam antea visum, neque repetitum postea, Cælestinus V. præbuerat, qui ex eremi latebris ad summum fastigium evectus, dignitati Apostolicæ, cujus oneri impares suos humeros agnoscebat, renunciaverat, & ad loca sola, tanto semper opere amata, libens reverterat. Principes intereà quidam & Reges dolere, scilicet, qui Pontifice nihil non indul-

Hinc sequitur falli Crusenium qui Saccitas Ordini Augustiniano unitos putat an. 1256. per Alexand. IV.

gente, Eccleſiæ patrimonia arrodere cœperant, regna quoque integra devorandi ſpe certâ tumidi; & Bonifacium VIII. ſucceſſorem, bonis, quæ iſte prodigè effuderat, recuperandis, aut retinendis quæ alii velut eſurientes lupi inhiabant, intentum, fugillare atque apud omnes ambitionis & fraudis reum peragere. Et jam propè aberat, ut in ordinem Bonifacius innumeris multorum lædoriis aſperſus retraheretur, magno cum damno ſcandaloque univerſi Orbis Chriſtiani; niſi AEGIDIVS noſter, qui propter ſanctitatem & doctrinam apud Reges omnes Principeſque ſummâ auctoritate valebat, libro apologetico, cui titulum *de renunciatione Papæ* præfixit, Pontificis innocentiam defendiſſet, & Bonifacium legitimè fuiſſe electum ſolidè dilucideque probaviſſet. Potuiſſet Bonifacius jam non videri Bonifacius, niſi bene quoque faceret illi, cujus beneficio Bonifacius ad Benedictum non redierat. Calamum ergo Pontificatûs ſui tam potentem defenſatorem Pontificiâ etiam infulâ honorare voluit, & AEGIDIVM dare Bituricenſibus Archiepiſcopum, ac Primatem Aquitaniæ nominare, gratulante Philippo Pulchro, bonis omnibus applaudentibus. Sed & Ordini Auguſtiniano, cui COLVMNAM eripuerat, cavere voluit Papa, & anno eodem

Bonifacius VIII. dictus ante pontificatum Benedictus Cardinalis Cajetanus.

Anno 1296. Malè refert hanc ejus inaugurationem Gordonus ad an. 1285. cum Genebrardo.

eodem evulgavit Conſtitutionem; *Ad conſequendam gloriam*; quâ vetuit prope Eccleſias & Conventus FF. Eremitarum S. Auguſtini, alios Religioſos mendicantes nova loca infra ſpatium cannarum CXL. ædificare. Porrò munere iſto auctus AEGIDIVS, inter primas curas habuit Bituriges ſuos divini verbi pabulo abundè lauteque paſcere, & quod maximum omnibus in rebus pondus habet, exemplo ad ſanctiorem, adeoque cæleſtem vitam, & mores quotidie incitare; totum ſe, aſsiduumq; dare rerum divinarum contemplationi, nauſeare terrena omnia, nihil ſapere, nihil cogitare humanum, niſi cùm morbidæ oves ſalutarem paſtoris manum, & oportunum remedium implorarent. Hiſce occupatum interturbare mulier auſa eſt, & corporis etiam valetudinem importuna flagitare ab eo, qui tam libenter animas curabat. Ille verò, ut probaret minùs difficilem corporum quàm animarum medicinam, paucis verbis (brevem faciebat cura cæleſtium) *Vade*, ait, *bona mulier: fiat tibi ſecundùm fidem tuam*. Et cum dicto mulierem abeuntem ſalus integra ſecuta eſt. Sed hęc aliò ſpectant.

Franc. Coriolanus in Brev. Chronol. Pontif. & Conc.

Aſſedit Concilio Oecumenico Viennæ ſub Cle- *Anno 1311.*
mente V. in quo Templariorum Equitum Ordo,

Romanę pridem Eccleſiæ oppidò ſalutaris, damnatus eſt, &, qui annis omnino CC.III. floruerat, toto terrarum orbe ſimul extinctus. Reditus eorum Rhodianis Equitibus ceſſerunt; AEGIDIVS ædem & locum, quæ Bituricis habuerant, Auguſtinianis ſuis à Philippo Pulchro impetravit. In numerũ Cardinalium adſcriptus ſed non enunciatus eſt, morte interveniente, Pontificis an ipſius AEGIDII, incertum. Bzovius poſt Hieronymum Seripandum, vult Bonifacium AEGIDIO tam bene voluiſſe, facturum etiam, niſi fato prę-maturo atque inopino Pontifex ex humanis abiiſſet: ſucceſſorem verò Clementem V. à Proceribus & Rege, quibus Bonifacii famam & favitores damnare volupe erat, inflammatum adversùs AEGIDIVM, prohibitumque deſtinatâ honorare purpurâ Bonifacii protectorem. Bonus utique hic color, ſi eſſet à vetuſto penicillo. Alii putant Ioannem XXII. ÆGIDIO de Eccleſiâ optimè merito dediſſe locum inter Purpuratos Patres; hunc autem à Deo in Sanctorum conſortium adlectum priùs, quàm evulgaretur, ad cæli cardines tranſiiſſe. Vero propinquius mihi hoc viſum, & falſum Bzovii argumentum. Philippi enim Regis gratiâ excidiſſe, aut incidiſſe Clemen-

mentis Papæ odium quî potuit AEGIDIVS, quos fecit Ordini ſuo ex Templariorum bonis liberales donatores ? Certum quoque eſt, abſurdè hallucinari Ioannem de Chenu, qui aſſerit AEGIDIVM anno Chriſti ∞.CCC.XV. Cardinalium catalogo inſcriptum fuiſſe, cùm ſedes totum illum annum vacaverit. Cui addit deinde alium non minùs craſſum errorem (ita nullum peccatum ſolum eſt) quando dicit eum Pariſiis diem ſuum obiiſſe, cùm Avenione mortuum eſſe apud omnes in comperto ſit. Hîc namque illi annis jam gravi morbus præterea moleſtus incubuit, & monuit ſarcinas colligere, ac parare in cœleſtem patriam iter. Sed ille ut expeditior iret, abjecit omnia, & tabulis compoſitis, per Romanum, Bituricenſe ac Lutetianum cœnobia diſperſit. Iſta enim amabat præ reliquis: quod ipſum id, ipſe hæc Religioni Auguſtinianæ adgenuiſſet. Sacræ ſupellectilis Conventum Romanum, profanæ Bituricenſem, bibliothecæ & exuviarum ſuarum Pariſienſem, heredes ſcripſit: ipſe cœli hereditatem adiit vigeſimâ ſecundâ die menſis Decembris, anno trecenteſimo decimo ſexto ſupra milleſimum. Corpus Lutetiam tranſlatum ſepultum-

que in ædeAuguſtinianâ juxta aram templi principem, hoc Epitaphio inſignitur.

HIC. IACET. AVLA. MORVM. VITÆ. MVNDITIA. ARCHIPHILOSOPHIÆ. ARISTOTELIS. PERSPICACISSIMVS. COMMENTATOR, CLAVIS. ET. DOCTOR. THEOLOGIÆ. LVX. IN. LVCEM. REDVCENS. DVBIA. FRATER. ÆGIDIVS. DE. ROMA. ORDINIS. FRATRVM. EREMITARVM. S. AVGVSTINI. ARCHIEPISCOPVS. BITVRICENSIS. QVI. OBIIT. ANNO. DOMINI. M. CCC. XVI. DIE. XXII. MENSIS. DECEMBRIS.

Scripta AEGIDII Columnii hæc ſunt

PHILOSOPHICA.

In libros Priorum Ariſtotelis.
In libros Poſteriorum, petente Stephano Mauley, viro inter Anglos illuſtri.
In Topica Ariſtotelis,
In libros Elenchorum Sophiſticorum, rogante Philippo, Guidonis Flandriæ Comitis filio.
In artem veterem.
De medio demonſtrationis lib. I.
In libros Rhetoricorum Ariſtotelis.
De differentiâ Ethicæ, Politicæ, & Rhetoricæ, ad F. Oliverium Ord. Prædicatorum.
In librum de bonâ Fortunâ Commentarius.

In

In libros Ethicorum Commentaria.
In libros Politicorum Commentaria.
In libros VIII. Physicorum Expositio.
In libr. Arist. de Generatione & corruptione Commentaria, cum Quæstionibus in eundem de Animâ.
In libros Arist. de Animâ Commentaria, flagitante Iacobo, ex Romanis viro nobili Canonico Rhotomagensi.
In Parva naturalia Arist. Commentaria.
In librum de Causis Commentarius.
De materiâ cœli contra Averroëm lib. I.
De gradibus formarum accidentalium lib. I.
De intentionibus in medio lib. I.
De formatione humani corporis in utero lib. I. impressus Arimini an. 1626. in 4. apud Ioannem Simbenium.
In lib. Arist. de Physionomiâ Commentarius.
Vtrum sit dare plura principia simpliciter prima.
De esse & essentiâ Theoremata XXII.
De purificatione intellectûs possibilis.
In lib. XII. Metaphysicorum Commentaria.
In eosdem lib. Metaph. Quæstiones.
De erroribus Philosophorum lib. I.
In Boëtium de Consol. Philosophiæ Expositio.

THEOLOGICA.

Hexameron sive de mundo sex diebus condito. lib. II. Romæ apud Antonium Bladum. *fol.* 1555.
In librum Canticorum. Romæ apud eundem.
In epistolam ad Romanos. Ibidem apud eundem.
De defectu & deviatione malorum culpæ & peccatorum à verbo lib. I. Ibidem apud eundem.
De corpore Christi Theoremata L. Ibidem.
De Charactere lib. I. Ibidem.

De corpore Christi tractatus: requirentibus Dominis & Amicis. Ibidem.

De paradiso, purgatorio, & inferno. Ibidem.

De articulis fidei. Ibidem.

De Arcâ Noë. Ibidem.

De peccato originali. Ibidem.

De Prædestinatione & præscientiâ. Ibidem.

In Ius Canonicum de summâ Trinitate & fide Catholicâ, Firmiter; & super Decretalem, cum Martha; de celebratione Missarum lib. II. Ibidem.

Expositio super Orat. Domin. & salut. Ang. Ibidem.

De concessionibus rerum immobilium, quæ à Regibus Ecclesiæ fieri solent. Ibidem.

De renunciatione Papæ. Ibidem.

Contra Exemptos lib. I. Ibidem.

De cognitionibus Angelorum. Ibidem.

De motu Angelorum.

De compositione Angelorum.

De loco Angelorum Quæstiones.

De mensurâ Angelorum.

In primum, secundum, & tertium sententiarum. Romæ apud Alexandrum Zannettum 1623.

In quartum sententiarum.

In totum Canonem Bibliæ, & sufficientiam librorum sacræ Scripturæ lib. II.

In epist. D. Pauli ad Corinthios.

In omnes Pauli Epistolas.

In Epistolas Canonicas incepta Commentaria.

In Evang. Ioannis libri II.

In illud Canonicæ Ioannis, Omne quod est in mundo, *lib. I.*

Contra expositionem Petri Ioannis de Narbona super Apocalypsin, jubente Bonifacio PP.

Defen-

Defensorium contra impugnantes S. Thomam Aquinatem. Coloniæ 1626.
Contra Hæreticos lib. quem Ferrens fulmen *appellavit.*
Compendium Theologicæ veritatis.
De subjecto Theologiæ lib. I.
De gradibus formarum lib. III.
De esse & essentiâ, seu de primo principio quæst. XIII.
De resurrectione mortuorum quæstiones septem Parisiis disputatæ.
De rationibus seminalibus lib. I.
De divinâ influentiâ in Beatos lib. I.
De Ecclesiasticâ potestate lib. III.
De excellentiâ summi Pontificatûs.
De gratiarum actione lib. I. ad Bonifacium VIII.
Isagoge seu Introductio Christianæ fidei ad Regem Armeniæ, jubente eodem Pontifice.
De laudibus divinæ sapientiæ lib. I.
Quodlibeta sex.
Sermones solennes ad Clerum.
Sermones alii & Epistolæ.
Oratio in Philippi Pulchri Galliarum Regis inauguratione, quæ suprà habetur.

Et alia multa.

Nam ÆGIDIO *post Aurelium Augustinum neque plura quisquam in divinis scripsit, neque accuratiùs.* Sabellicus tom. 2. Enneadis 7. lib. 9.

I.Fran. inv.

ALEXANDER OLIVA Ord. Erem. S. AVGVSTINI,
Cardinalis tit. S. Susannæ, innocentia vitæ, ac
diuini verbi prædicatione illustris, multorum
Principum discordias composuit.

ALEXANDER OLIVA, S.R.E. CARDINALIS.

SAxo-ferratum, Vmbriæ oppidum, quod olim Sentinum fuit, à Bartholo Iureconſulto, & Nicolao Perotto Sipontino Archiepiſcopo nobile, ALEXANDER OLIVA noſter multò illuſtrius reddidit. Hîc ille obſcuris parentibus natus, ſed tertio vitæ anno denatus eſt, fortuito in aquas lapſu, quæ ſpiritum puero intercluſerunt. Primam vitam dediſſe, quam ita citò perderet, grave matri videbatur, niſi quoque alteram ei à cælo impetraret. Inſtare ergo precibus lacrymiſque apud Matrem-Virginem orba mater, & voto pio jamnunc in perpetuum illi obſequium conſecrare, ſi reviviſceret. Auritum fuit cælum. Audivit pias preces Mater miſericordiæ, & miraculo vitam illi reſtituit, qui deinceps vitæ miraculum viveret. Quod ſtatim & luculentè oſtendit, quando ex ephœbis tranſiit ad inſtitutum monaſticum, quod Eremitæ Auguſtiniani profitentur. Vbi

pietatis prima fundamina tam ſolida poſuit, ut nihil jam ab eo humile, nihil vulgare, ampla omnia, præclara, inuſitati exempli novi generis Sodales omnes expectarent. In ſtudiis perdius pernoxque erat: ad quæ ſe ita applicuit, ut non inanem quandam eruditionis ſpeciem quæri, ſed veram ſapientiam, quæ æternâ cum famâ ſalutem quoque parit, amari ab eo ſatis conſtaret. Frequens enim illi etiamnum adoleſcenti in ore erat; *Difficilius, ſed laudabilius eſſe hominem fieri bonum, quàm doctum: utilioremque ſibi & aliis eſſe moribus præſtantem, quàm doctrinâ excellentem.* Porro eam ſapientiam ita altè imbibit Arimini, Bononiæ,& Peruſiæ, ut in principibus ſui ævi Theologis numeraretur. Quare juſſus in Academiâ Peruſinâ cathedram aſcendere, publicè Philoſophiam ſummâ cum laude interpretatus eſt. Deinde ob præclaras animi dotes, vitæque ſanctimoniam an. 1439. in comitiis, quæ Reverendiſsimus P. Gerardus Ariminenſis Peruſiæ inſtituerat, communibus omnium calculis,invitus reluctanſque Provincialis declaratur. Quo munere ita integrè innocenterque functus eſt, ut contra Auguſtiniana decreta perpetuo triennio de ſucceſſore nemo loqueretur: donec Romæ Eugenius IV. eum Ordinis Procuratorem Generalem deſigna-

ret

ret fruſtrà viribus omnibus renitentem. Sed ille rerum temporalium curis abdicatis, totum ſe verbo Dei ſeminando dedicavit. A quo, cùm Cardinalis Tarentini Protectoris Ordinis imperioſo libello, ſe ad curam vitamque priſtinam revocatum iri non ignoraret, clam omnibus in loca ſola profugit, latuitque duobus circiter menſibus à Petro quodam Eremita ſuſtentatus. Tarentino autem cum ipſo Eugenio urgenti, ut ne ſeipſum tantâ doctrinæ & nominis gloriâ fraudaret, rediret ad publica gymnaſia, néve Ordinem deſereret, reſpondit rythmo quodam vernaculo; *Gloriam nominis, quæ ex Deo non eſſet, eſſe aſinorum merum rudentiſibilum, abſonum atque omnino abſurdum;* additâ prece, ut ſibi liceret perſtare in propoſito, & ſervire Deo regiam ſervitutem. Quod, quia honeſtè negari non poterat, cùm impetraſſet, divinum Evangelii ſemen ſpargere aggreſſus eſt, tam latè, ſtudioſéque, ut nulla in Italiâ urbs fuerit, quam ille ſanctiſsimis præceptis propè non reformaverit. Nullus gladius in hoſtilem cervicem atrocior, quàm lingua ALEXANDRI in flagitia, incubuit. Neapoli, Senis, Florentiæ, Bononiæ, Mantuę, Ferrarię, Venetiis, & ubi non? prędicavit; an fulgurivit? undatim confluentibus ſemper hominibus, quos delectavit

profundâ rerum ſcientiâ, magis tamen commovit vitæ exemplo. Subinde generalis ſuæ Religionis Vicarius conſtitutus, Provincias omnes pedibus, quamdiu eos integros ſanoſque habuit, luſtravit: ubi verò ſeu ab ætate, ſeu à nimiâ defatigatione vitium acceſsit, aſelli commoditate uti cœpit. Rigidam ubique obſervantiam fratribus ſuis imperavit, pro nihilo ducens improborum calumnias, qui eum ceu durum & nimiùm ſeverum Dictatorem compoſitis dicteriis apud omnes differebant. Neque tantùm religioſa negotia tractavit; Principum quoque & urbium diſcordias examinandas ſuſcepit, & compoſuit. A Senenſibus cruenta prælia & cladem civilem avertit: Florentinos tumultu periculoſo æſtuantes ad malaciam reduxit: Peruſinis ſæpè diſsidentibus ſæpè ad concordiam auctor fuit. Capitales paſsim inimicitias, privataque odia, quocunque profectus eſt, oppreſsit, ſopivit, extinxit: ut meritò Angelus pacis dici potuerit, & pro eo habitus ſit. His eximiis animi dotibus, & inſigni prætereà ſanctimoniâ venerandus, in conventu Piceno an. 1459. ad ſummam Ordinis præfecturam evectus eſt: cùm ille interim palàm ad ravim ferè occlamitaret, in- [illegible] ſuffragatoribus, aſperum ſibi eum ex-

experturis, quando mores vitiaque singulorum non ignoraret. Eo quoque munere tam sanctè perfunctus est, ut Pius II. eum solum ex toto orbe terrarum dignum judicaret, quem nihil tale opinantem purpurâ ornari & ad amplissimũ honoris gradum efferri oporteret. Anno ergo insequente, Domini 1460. in Collegium Cardinaliũ cooptatus, & titulo S. Susannæ donatus est. Nihil eo in hâc etiam dignitate fuit continentius. Legatus in Picenos, ut natum inter Anconitanos atque Esinos bellum componeret, cùm à Civitatibus, oppidulisque, quà transeundum erat, vasa argentea, aliaque non contemnenda ab avaris munera, passim ei offerrentur, rejecit omnia. Dubitares, aliíne ad præsentandum importuniores, an ille præfractior esset ad repulsandum: ut annonam quoque gratuitò missam non admitteret. Cùm autem comites per jocum ei dicerent; *Quantum M. Curius Marsorum bello, tantum nos in Piceno egimus prædæ. Nam cùm jurasset ille nihil se præter fagineum gustum, quo sacrificarat, ex bello reportasse; nos, nec quæ ad gustandum quidem faciunt, attigimus*: conversus ad eos; *M. Curius venit in Marsos ut prædaretur, nos venimus in Picenos, ne prædæ fierent.* In alios verò sua prodigere, videri poterat, nisi pauperibus distribuisset. Propinquis nihil,

præ-

præter ea, quæ ad victum pertinent, contulit; neque ea niſi ſummo Pontifice annuente. Interrogatus, cur germano ſuo, ut militiam ſectaretur, auctor fuiſſet; *Vt ex magiſtratibus*, inquit, *induſtriâ vivat ſuâ, non ut ex me, quæ pauperum ſunt, aſſportet.* Familiari alloquio litteratos tantùm & vitæ probatæ viros dignabatur: alios non contemnebat quidem, ſed quantum humani ſatis leges patiebantur declinabat. A prophanis, etjam nepotibus tangi ſe non ſuſtinebat: tanto pudicitiæ ſtudio ferebatur. Morbo ægrum, & ſomno gravem, cùm excitarent, converſus ad Malateſtam unum è ſuis; *Abi*, inquit, *fili mi Malateſta, ne me tange: nam prophanus es.* Quàm non ſibi in purpurâ placuerit, Chriſtiano exemplo ſatis probavit. In ſacello enim, quod domi extruxerat, clam familiâ omni, ſcitè in ſcrinii formam ſepulcrum ſibi, quod digito leviter aperiri poſſet, apparari curaverat: in eóque Cardinalis viri cadaver depingi, quod ipſum illum oris lineamento & veſtis colore referret; in ſepulchri interiori latere adſcribi hæc verba; *In omnibus operibus tuis, memorare noviſſima tua, & non delinques in æternum.* Scrinium hoc, cùm orationi ſe daret, recludebat, eamque ſui imaginem ſpeculando vicinæ jam morti proludebat. Pictor, eo vitâ defuncto, faſſus

fassus est, jurejurando sacro se obstrictum, ut hoc omnes celaret. Morbo ingravescente rogatus, quo in loco humari vellet; *Animam*, ait, *jam pridem Deo vovi, nunc corpus Pio relinquo: ubi is volet, me sepelitote.* Quæsitus, quid suis mandatum vellet; *Nihil*, respondit, *nisi ut boni sint, rectéque vivant.* Morte jam ingruente, cùm religiosi monerent, ne quid timeret; *Quid*, inquit, *ego timeam, qui ad nuptias eo.* Ivit autem ætatis suæ anno sexto & quinquagesimo, Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo & tertio, duodecimo Calendas Septembris. Tibure corpus Romam delatum, in Ecclesiâ S. Augustini, marmoreo sepulcro conditum est, cum hâc epigraphe.

ALEXANDRO. OLIVÆ. SAXOFERRATENSI.
THEO. CLARISSIMO.
EREMIT. SANCTI. AVGVSTINI.
AB. INFANTIA. SPEI. MAXIMÆ. ALVMNO.
QVI. CVM. ESSET. SVI. ORDINIS. GENERALIS.
OB. SINGVLAREM. DOCTRINAM. ET. VITAE. SANCTIMONIAM.
CARDINALIS. A. PIO. II. IGNORANS. CREATVS. EST.
VIXIT. ANNIS. QVINQVAGINTA. QVINQVE.
OBIIT. ANNO. SALVTIS. M. CCCC. LXXIII.

Vt tibi sola dedit Probitas, non gratia soli,
Digno Cardineum nomine, réque decus:
Sic eadem indignis raptum dum tollit ad astra;
Felix hoc, inquit, Principe Roma foret.

De ALEXANDRI Cardinalis obitu,

ANTONIVS CAMPANVS,

EPISCOPVS INTERAMNENSIS,

in oratione funebri.

EO mortuo fleverunt amici, luxit Curia, Italia omnis in mœstitiâ fuit. Illum pauperes, quos alebat; amici, quos complectebatur; collegæ, quos maximâ prosequebatur reverentiâ; boni omnes, docti, religiosi lamentabantur. Neque enim erat, qui non censeret, extincto illo, lumen Curiæ, decus collegii, sacrarium religionis, ornamentum litterarum, specimen vivendi esse extinctum: nec unquam in quoquam fuisse vel mediocrem virtutem, quæ in ALEXANDRO *non visa sit eminentissima.*

ABRA-

ABRAHAMVS BZOVIVS

Tom. 17. Annal. Eccles. an. 1463. n. 34.

QVasi dormiens expiravit, ingens Sacri Collegii decus, in quo vitæ fulgor cum doctrinæ luce contendit. Potuerant multi homines sine damno periisse, in hoc grave vulnus accepit Ecclesia. Ita plerumque fit: vita brevis bono est, malo quàm diutissima. Servantur ad pœnitentiam pessimi, sive ut bonos exerceant: probitas cælum petit.

Scripsit

De Christi ortu sermones centum.
De cœnâ cum Apostolis factâ.
De peccato in Spiritum Sanctum.
Orationes elegantes lib. I. & alia.

De eodem agunt *Iosephus Pamphilus Episcopus Sigininus, Ambrosius Coriolanus, Onuphrius Panvinius, Nicolaus Crusenius, Thomas Gratianus in Anastasi, Antonius Possevinus in Apparatu sacro, Antonius Campanus Episcopus Interamnensis, Abrahamus Bzovius in Annal. Eccles. Franciscus Sweertius in bibliothecâ S. R. E. Cardinalium M. S.*

AEGIDIVS VITERBIENSIS, *Ord. Erem.*
S. AVGVSTINI, *Prior Generalis, S.R.E. Cardinalis,*
et Patriarcha Constantinopolitanus.

AEGIDIVS
CARDINALIS
VITERBIENSIS.

NVLLÆ avorum ceræ, aut ſtemmata ornarunt AEGIDIVM, ſed virtutum magnarum longa ſeries, varia deinde humanarum & divinarum litterarum exquiſita ſupellex eum ad ſummum gloriæ apicem evexerunt. Tantò ampliùs laudandus, quantò ex humili aſcendit altiùs. Tirocinia pietatis Viterbii, ubi natus eſt, poſuit in Ordine Auguſtiniano; ingenium verò, quod natura illi eximium dedit, excoluit ſub præceptore Mariano Genezanenſi, viro doctiſsimo, & præconio Pontani ac Politiani inclyto. Græcam, Hebræam, & Chaldaicam linguas exoticas labore tam pertinaci conſectatus eſt, ut eas non acquiſiviſſe ſtudio, ſed à matris uberibus ſuxiſſe videretur. At verò eloquentiâ excelluiſſe omnes fatentur: ut quacunque de re, non modò copiosè, verùm etjam diſertè locutus ſit ex tempore coram ſummatibus & principibus viris, quos ſibi conciliavit duabus præſertim virtutibus, doctrinâ & hu-

manitate. Cùm è ſuggeſtu ſacro diceret, nulla ſatis ampla ædes erat, quæ homines caperet ad eum audiendum undatim confluentes. Sed vitæ in eo ſingularis erat ſanctimonia, quam Iulius II. generali Ordinis præfecturâ decorare voluit. Tum novæ AEGIDIVM ſubire cogitationes, præclarę illę, & viro tali dignæ, atque æternâ cum gloriâ conjunctæ; pietatem tum multò maximè colere, excubare pro ſalute & dignitate ſui Ordinis, nihil cogitare, nihil omnino facere, in quo non ſtatim decus eluceret. Anno ∞.15. XII. cùm idem Pontifex irritatus Piſano conciliabulo, quod Cardinales quidam pecuniâ & aureis promiſsis Regis Galliarum Ludovici ineſcati, contra canones & jura coëgerant, Concilium Lateranenſe indixiſſet, & quinto Idus Maii ſolenniter, præſentibus Cardinalibus & variis magno numero Præſulibus, qui ſtudio juvandi Eccleſiam, & frenandi Patrum Schiſmaticorum audaciam, ex variis regionibus accurrerant, initium dare voluiſſet; AEGIDIVS Auguſtinianorum Prefectus generalis, primus dicere juſſus, habuit eam, quam Iacobus Sadoletus tam prolixè Bembo laudavit, ad Patres orationem. quam hîc libuit adſcribere, ut ex ungue Leonem hunc liceat cognoſcere. Ita ergo orditus eſt.

Anni

Anni fluxere aliquot, ex quo per universam Italiam, ex Ioannis Apostoli Apocalypsi dicendi sumptâ occasione, magnas Ecclesiæ calamitates instare sum vaticinatus: certam tamen ex iis malis emergendi aliquando spem promitti. Lætor, Patres, atque ex animo gaudeo, nostrum vaticinium inane non extitisse. Rebus enimverò in extremum discrimen adductis, & in tetram malorum caliginem, quasi post obscuræ noctis tenebras melioris spei lumen ostenditur, serenum post sævam ventorum & turbinum tempestatem. Hoc discrepant inter cetera à cœlestibus terrena, quòd illa instauratione non indigent, quippe æterna naturâ: res humanæ propter innatam inconstantiam & varietatem, remediis oportunis, ne penitùs intereant solvantur-que, reparari identidem opus habent. Quod victus animantibus, quod cultura irrigatioque plantis est, id in vitâ & moribus accurata disciplina; ne noxiis vitiorum sentibus silvescant, atque vastentur instar neglecti agri. Bonus agricola arbores vel adminiculis erigit, vel circumcidendo castigat, sub alienâ latentibus umbrâ cœlum aperit, ramorum densitate impeditas interlucat, telluris vitio laborantibus mutat locum: neque rectas tantùm, & fertiles colit, sed depravatas corrigit, & minùs fructuosas. neque sudori parcit, modò prædia hortique nitescant. Tantumdem de pastoribus dici potest. Sed locum videtis. Ergo doctrinâ & exemplis excolantur animi: quæ in populi moribus delapsa fluxêre, severioribus legibus adstringantur. Ea cultura

tura eſto. Vos omnes cæleſtis Pater hujus agri cuſtodes & cultores dedit, ſui gregis curatores. An æquum videatur inertiæ ſe dare? altùm ſtertere? & non potiùs cui omnia debemus, pro eâ vitam ſanguinemque profundere? Poſſunt quidem eam diligentiam paſtores in ſuis ſingulis caulis præſtare, tantùm ne exitialis ſomnus invadat: verùm à tempore Magni Conſtantini uſu perpetuo edocti ſumus, multò id commodiùs contingere, majori efficaciâ, cùm Antiſtites in unum locum convenientes, divinoque afflatu adjuti inter ſe conſpirantes, de ſalute publicâ in commune conſultant. Repetite Patres veteres hiſtorias, revolvite antiqua ſcriptorum monumenta, revocate in memoriam ſuperiores ærumnas & mala. Quis hæreſes antiquas & ſectas nefarias à ſtirpe convulſit? Concilia. Quis Principum inſolentiam frænavit, terrorem improbitati ne ſe efferret gravis & importuna, quis incuſſit? An non id Concilia præſtitêre? Longum eſſet explicare ſingula. Sed certè, quid Eccleſiæ majeſtatem tuetur, cultum religionis & ſanctiſſimas cærimonias illuſtrat, populi pravitatem cœrcet, fovet pietatem, & legibus ut obtemperetur, facit? an non hæc omnia à Conciliis præſtantur? Quòd ſi labori & induſtriæ fructus non reſpondet, ſi vitiorum peſtes in multorum perniciem & reipublicæ dedecus majori quàm opus eſſet licentiâ graſſantur; videte Patres, ne fortè ſalutaris inſtituti intermiſſio, eam conſciverit labem. Magna vis horum Conventuum extitit, ſaluberrima operatio; ita tamen, ſi

acce-

accedat innocentiæ in noſtris moribus & probitatis exemplum. Certiſſimum ſubſidium à vitâ rectorum reliquæ diligentiæ paratur; noſtri Capitis imitatione & Doctoris, qui, ut divinæ perhibent litteræ, cœpit facere & docere. Salutaris doctrina eſt; ſed ſi docentis exemplo juvetur. Diſplicet hominibus imperata correctio; actione facillimè jubetur, exemplo facillimè obtemperatur. Movent enim exempla magis quàm verba; atque utinam, ô utinam, tam multi bene operarentur, quàm multi præcipiunt bene. Verùm in re certiſſimâ hærendum non eſt. Sed quis tamen non videat, non gemat ævi hujus ærumnas continuas & graves? Mores populi in omnem licentiam ſolutos, imperitiam, ambitionem, impudicitiam, ubi minùs decebat, graſſari? Intemperantiam & rapinas Principum ac militum, an utrorumque? Dicam, audacter fortaſſe, ſed, ut arbitror, verè; ſiccis oculis quis aſpiciat Italiæ campos humano madentes ſanguine magis, quàm de cælo imbribus undantes; per urbes & oppida gladios, innocentiam oppreſſam? Hæc aliáque multa mala veſtram opem, Patres, expectant: eâ ſublatâ ſpe, unde remedium noſtris miſeriis petatur? Magnam provinciam, Pater Sancte, ſuſcepiſti: multa aggreſſus es, & perfeciſti præclarè. Sublata latrocinia, aperta itinera, plures ad ſacrum imperium urbes reſtitutæ, quàm à quoquam alio ab omni memoriâ Pontificum. Magna hæc ſunt atque præclara, quis neget? quis non videat? Omnium tamen maximam à tuâ prudentiâ cuncti

præstolamur opem. Principibus Christianis pacatis, in communem hostem omnium opes, vires que converte. Id ut facilius contingat, positis absonis armis, ea arripiamus, quæ militiæ nostræ sunt consentanea. Iis vitia, ac omne genus scelera, multa quamvis & fœda, sunt impugnanda. Quando enim vita solutior? quando ambitio magis effrenis? Quando major de divinis rebus loquendi sentiendique, ut cuique placet, licentia? Laniena sævior an ullo tempore accidit, quàm quæ Brixiæ priùs, deinde ad Ravennam extitit cruoris rivis nondum exsiccatis? Quæ omnia, quid aliud, quàm voces cælestes sunt, denunciantes, quantopere ad hæc suprema remedia, sacramque anchoram recurrere esset necesse? Fructus ut cumulatior existat, modestiæ studio, clamores amoveantur & jurgia. Sed cum eo tamen, si loquendi decernendique libertas sit omnibus, ut maximè quæque dolorem facere videantur. Magna à vobis, Patres, Deo debetur gratia, quos linguâ, moribus, & genere discrepantes in hunc locum perduxit: magna laus vobis ab omnibus bonis, qui tantos labores sumpsistis præ studio juvandi Ecclesiam. Magna sapientia in his augustissimis ædibus & sedibus versatur, auctoritas non impar. Aderit Christus suo nomine, cujus agitur caussa, civesque cælestes omnes. Vos inprimis Petre & Paule, clara inter cælestes lumina, Ecclesiæ sanctæ, atque hujus urbis tutelares, clamores nostri & singultus ad misericordiam flectent. Ecclesiam vestram juvate; vestram, inquam, sudore vestro con-

consitam cultamque vineam, divinam Christi & vestro sanguine irriguam hæreditatem: & quam à tyrannorum sævitiâ liberastis, ne eorum manibus extirpetur & pereat, qui se filios ejus & familiares profitentur, benignè facite. Cunctos hos Patres & sanctos Præsules confirmate cælesti ope; ut mentis oculis in Deum solum conjectis, ac nihil præterea captantes, quæ nostra vulnera postulant, & tantæ miseriæ exigunt, ea adhibere ne metuant remedia. Orat populus, viri, feminæque, omnis ætas, omnis sexus, totus orbis, omnes patres, senatus universus obsecrat & obtestatur; ac inprimis ipse summus Pontifex flagitat, ut se, ut Ecclesiam, ut urbem Romam, hæc templa, has aras, hæc sacra, hæc vestra ipsorum capita servetis, ac synodum Lateranensem hodie auspicatò inchoatam, nobis, Ecclesiæ vestræ, totique Reipublicæ Christianæ in orbis terræ certissimam salutem, sancti Spiritûs numine confirmetis, curetisque & pacari Principes Christianos, & in publicum Christi hostem Mahometem nostrorum Regum arma converti; atque his fluctibus, his tempestatibus, his aquis non modò non extingui Ecclesiæ charitatem, sed almæ crucis virtute, & divini spiritûs auspicio, quibus junctim hodie sacra litantur, ablui potiùs ab omnibus conceptis maculis, & in antiquum spendorem munditiamque restitui.

Variis prætereà legationibus ab eodem Iulio adhibitus, Pontificiam dignitatem apud Venetos & Regem Neapolitanum egregiè defendit. Qui-

bus officiis Leonem quoque X. & Clementem deinde VII. Romanos Pontifices, ita ſibi devinxit: ut iſte, ſicuti erat judicio acerrimo, ita in præmiandis virtutibus liberaliſsimus, AEGIDIVM titulo S. Matthęi Evangeliſtæ & purpurâ ornarit anno ∞.IↃ.XVII; hic anno ∞.IↃ.XXIV. Patriarcham Conſtantinopolitanum, ex Latinis ſeptimum, nominarit. Illud denique ad nominis celebritatem longè maximum ornamentum acceſsit, quòd cùm à Selymo Turcarum Imperatore bellicoſiſsimo, duorum in Ægypto Regum oppreſſore ac victore, ſibi graviter timeret Italia, Pontifex Romanus eum elegerit, qui Hiſpani Regis arma excitaret, & ad bellum ſacrum tubas tympanaque commoveret. Siluit tandem vir diſertiſsimus anno poſt reparatam ſalutem trigeſimo ſecundo ſupra milleſimum & quingenteſimum, pridie Eidus Novembreis. Iacet Romæ in S. Auguſtino ante aram ſummam, ſepulcrum inſcripta hæc verba habet;

D. O. M.
ÆGIDIO VITERBIENSI
CARDINALI
GABRIEL VENETVS
GENERAL. POS.
M.D. XXXVI.

Sui

Sui quoque mnemoſynon reliquit in æde S. Matthæi, quam laqueari novo decoravit: in quo hæc leguntur;

NE TEMPLO, CVI PRÆERAT, ORNANDO OMNINO NEGLIGENS, NEVE LEONIS X. ET CLEMENTIS VII. M.P. MEMORIÆ INGRATVS VIDERETVR AEGID. CARD. PATRIAR. CONSTANTIN.

Et in alterâ ejuſdem parte;

NON QVID, SED QVA MENTE OPEREMVR.

LEO X. lib. XV. epiſt. XXXVIII. ad AEGIDIVM Generalem.

SCripſeram, ut elicerem abs te, cuperéſne ipſe in Cardinalium Collegium cooptari, id quoniam reticuiſti vel pudore tuo, atque modeſtiâ, quâ ſemper abundas.... Itaque confirmaſti etiam tu quidem conſilium meum tuo ſilentio. Perdiu enim eſt, cùm te legere in Cardinalium ordinem cogito; cùm ut tuorum laborum magnâ cum Reipublicæ utilitate, triginta totos annos ſuſceptorum, hanc tibi quaſi mercedem perſolvam quàm poſſum maximam atque ampliſſimam: tum ut te Reſpublica ſic utatur, & ex te fructus uberrimos capere poſſit. Puto autem Reipublicæ majori & uſui & honori fore dignitatem tuam, quàm tibi ipſi. Major enim atque illuſtrior jam eſt virtus tua, quàm

ut Magiſtratu illo egeat. Ordo verò ipſe talibus viris, ut tu es, egere mihi quidem magnopere videtur: quare plus tu Ordini, quàm tibi Ordo, ornamenti afferes. Efficiam igitur id nunc, quod dudum, ut dixi, meditor, téque cum reliquis, qui à me creandi ſunt, Cardinalem nominabo. Id erit Kalendis Quinctilibus. Quem ad diem mandabo tibi, Romæ ut ſis, ut te ſtatim videre atque amplecti poſſim.

IACOBI SADOLETI
S.R.E CARDINALIS
Epiſtola
ad AEGIDIVM Viterbienſem Cardinalem.

Ex lib. III. Epiſtolarū.

SI quantum ex tuis literis accepi voluptatis, tantum ipſe meis literis exprimere poſſe confiderem: nihil aliud agerem profectò hoc tempore, quàm tibi miram quandam ex eis animi mei lætitiam jucunditatemque præſcriberem. per quam intelligeres, laboris tui fructum egregiè tibi conſtitiſſe, cùm amiciſſimo tuo, eidemque tibi deditiſſimo, & utilitatis tantum & delectationis attuliſſes. Sed quoniam eo onere me oppreſſum iri planè video, ſi ſuſcipere nitar, quod perferre non queam, ignoſces mihi, ſi ne conabor quidem id aggredi, quod perficere poſſe deſperem. Illud tantùm ſcito, tuis mihi literis nihil accidere potuiſſe optatius: nec

ſolùm

olùm ex eâ parte, quâ ad ea quæ quæſiveram, & doctiſſi-
nè ſimul & humaniſſimè reſpondes : ſed etiam ex eo,
quòd videre videor in illis omnem expreſſam imaginem a-
moris in me tui : tanta in illis ſuavitas, tantum ſtudium
atisfaciendi mihi, tantus & verborum, quæ ad eam rem
faciant, & optimarum electiſſimarumque ſententiarum
neſt lepos. Itaque intelligo nunc quidem atque experior
neum de tuâ præſtanti eximiâque virtute, ſapientiâ, bo-
nitate, veriſſimum ſemper certiſſimumque fuiſſe judicium.
Nec, quòd anteà dubitarim, ſed quia dies, res, eventus,
quotidie id magis comprobat. Nam ſi à mediocri viro, &
mediocri dignitate prædito hæc amicitiæ officia præſta-
entur, laudandus ille utique quicunque eſſet, & in pauco-
um numero reponendus : rem enim vulgò haud ita mul-
ùm uſitatam in ſe oſtenderet. Ab homine verò ampliſſi-
no, & omnibus ingenii, eloquentiæ, honoriſque orna-
mentis cumulatiſſimo, retineri hæc officia fidelis amicitiæ,
& in abſentem amicum nil benevolentiæ humanitatis-
que prætermitti, hoc eſt, mi ÆGIDI, vir maxime, atque
rnatiſſime, quod in te habet laudis admirationem, non-
um aliorum laudibus comparandam. Quantum enim te
xæquas inferioribus amicis manſuetudine, benevolentiâ,
amiliaritate, tantum altitudinem animi tui virtutis glo-
iâ exaggeras. Sed hæc hactenus ; ſunt enim majoribus
beatris propoſita. Quod ad ea attinet, de quibus te con-
ulueram, ſatis omnino abs te mihi eſt factum ; doleo ta-

men

men te tua in eo genere ſcripta deſiderare: quorum venuſtatem & elegantiam, vel ex hoc conjicere poſſumus, cujuſmodi fuerit, quòd illa barbaris idonea viſa ſunt quæ diſjicerentur. Illud & optarim ſcire, poſtquàm adſciſcunt Moyſis libros Mahumetani, num & prophetas ſuſcipiant, multamque in veteri lege aſperſam eſſe exiſtiment futurarum rerum prædictionem; & an ipſi quoque Meſſiam aliquem expectent. Nam uſum quidem vini cur interdixerunt, cùm tantum uxoribus compluribus ducendis, pellicibuſque habendis libidini ab illis ſit tributum? ſi modò hæc vera ſunt, de quibus cupio à te fieri certior. Ego, ſi mihi optata Deus conceſſerit, efficiam profectò, ut ne te pœniteat aliquantum hoc laboris meâ causâ cepiſſe. Sin autem (ut humana ſunt) mea ſpes me fortè fruſtrata fuerit, tu tamen virtutis tuæ, & officii fructum tecum auferes. Certè quod in obſervantiâ omnique amore, & meritorum tuorum memoriâ, præſtari à me tibi, nomini, laudi, honorique tuo uſpiam poterit, largè enimverò id, & prolixè præſtabitur. Vale. Carpentoracti.

PAVLVS

PAVLVS IOVIVS

EPISCOPVS NVCERINVS

In elogiis doctorum virorum.

ÆGIDIVS, *quum in ſuggeſtu verò admirabilis, æquo judicio per omnes urbes oratoriæ facultatis lauream mereretur, etiam domi lepidiſſimis ſermonibus novam laudem ferebat. Erat enim ejus ingenium exquiſito omnium litterarum delectu graviter extructum, ſic, ut in omnes exemplorum caſus peramplas opes, alacris, & expedita memoria ſuppeditaret: facundia porrò tanta diſſimulatis illecebris audientes ſemper exhilarans atque demulcens, ut ipſo concionante, vel maxima templa complerentur. Ante autem id tempus, quo totius Eremitani Ordinis præfecturam à Iulio conſecutus eſt, nonnunquam accidit, ut Patavii optimis litteris operam navans, factitata ab ſe lepida carmina ad lyram elegantiſſimè decantaret. Ei demum Leo Pontifex, virtutem omnem liberaliter ornare ſolitus, honorem purpurei galeri detulit; quum Petrucianâ conjuratione, & Vmbrico bello circumventus, Senatum aut malignè aut ſegniter Principis injuriam ferentem, ſupplere cogeretur. Exinde functus eſt legatione in Hiſpaniam, quum Selymo poſt debellatos Perſas, & duos Memphiticos Reges interfectos, nobis*

arma comminante, Christianæ gentes ad sacrum bellum excitandæ viderentur. Sexagesimo ætatis anno subitâ oppressus pituitâ Romæ interiit, quum Clemens Carolum Cæsarem Bononiæ iterum excepisset, destinatus optatusque à multis ad Pontificatum, tanquàm par summo oneri.

IANVS VITALIS.

Ante sacrosanctos cineres bona verba viator
Dicito, divinus hîc jacet ÆGIDIVS.
Qui potuit linguâ humanas inflectere mentes,
Et trahere hærentes fervidus ad se animos.
Quicquid pandit Arabs, divinum quicquid Erembus
Dives Arameis occulit in tabulis,
Explicuit populis; & si quid spiritus ultrà
Sentit, adhuc sanctum, quod meditetur, habet.

Scripsit

AE GIDIVS

Annotationes in tria priora capita Geneseos.
Commentaria in quosdam Psalmos ad Leonem X.
De Ecclesiæ incremento.
Librum dialogorum.
Librum epistolarum.
Odas in Ægidii Iovviani laudes.

Extant

Extant quoque Romæ in biblothecâ Angelicâ, M.S.
Commentaria in lib. I. Sententiarum, more ſcholaſtico, ſed ad mentem Platonis.
In librum radicum Hebraicæ linguæ.
De Iliceto Auguſtiniano, in Etruriâ.

HIERONYMVS SERIPANDVS, Neapolitanus, Ord. Erem. S. AVGVSTINI
Prior Generalis, Archiepiscopus deinde Salernitanus, S.R.E. Cardinalis,
et in Concilio Tridentino Apostolicus Legatus.

HIERONYMVS SERIPANDVS, S.R.E. CARDINALIS.

HEroicus hic & purpurâ digniſsimus vultus magni Cardinalis HIERONYMI SERIPANDI eſt: ſi quoque animus pingi poſſet, divinum nemo non diceret. In illo ſe prodit quædam à naturâ matura & ſevera gravitas; ita modeſtè tamen, ut ſerenam animi benignitatem omnes ſemper laudârint. Natus eſt Trojæ, quæ Apuliæ Dauniæ opulentiſsima urbs eſt, loco ſplendido, ex illuſtriſsimo Equitum Neapolitanorum ſanguine, parentibus Ferdinando Seripando & Loiſiâ Galeotâ, anno ſalutis humanæ ∞. CCCC.XCIII. Maii die ſextâ, quâ & deinde anno ∞. IↃ.VII. renatus eſt, monachumque Auguſtinianum Neapoli induit in monaſterio D. Ioannis, quod *ad Carbonariam* vulgò dicitur, cùm antè litteris humanioribus tres, ſeverioribus duos annos impendiſſet, tanto cum fructu, ut qui perfectam in eo grammaticen contemneret, non poſſet non ob-

ſtupeſcere ad legum & juris prudentiam, quam imbibiſſe uno, ut ſic loquar, ſpiritu videbatur: nempe qui à lacte & uberibus vixdum abierat, quatuorque & decem ætatis annos tantùm numerare cœperat. Sed quàm facile ad jus & leges ingenium, tam alienum animum habuit à litibus & foro rabularum. Ad quietem ergò & eremum Auguſtinianam ſe contulit, excitatus ſancto fratrum exemplo, AEgidii inprimis Viterbienſis, qui vitæ ſanctitate & oris facundiâ eximium eâ tempeſtate præconem agebat. Monachiſmo initiatus philoſophicas & ſacras litteras non ſegniter excoluit; ante omnia & inſigniter virtutem: ad quam totum ſe fingens, non adumbratam, quod à pleriſque fieri amat, ſed virtutis ſigna expreſſa jam manifeſtò edebat. Illiſce ſtudiis, ceu gradibus, ad ſummam denique Ordinis ſui dignitatem aſcendit: quam ſuſtinuit graviter, gnaviterque, ſi quis alius. Princeps illi cura, ſtatim religioſæ vitæ primam ſeveritatem revocare, adversùs Lutheri fœdiſsimi apoſtatę inſanam doctrinam, ſuorum ſtilum acuere, deinde auctare provincias in novâ Indiâ adoleſcentes. Exeffecit omnia pro deſiderio ſuo luculentè. Ordinis ſtatuta ad formam ſanctam reduxit: Ioannem Hoffmeiſterum virum in Germaniâ doctiſsi-

ctiſsimum, alibi alios Lutheromaſtiges excitavit: denique, cùm luſtraret Hiſpaniam, novas & novas ſubinde lectiſsimorum virorum colonias in novum orbem ſubmiſit. Anno ∞. IↃ. XLVII. Oecumenico Concilio, quod Tridenti indictum, cœptumque, Bononiam migraverat, à Paulo III. aſsidere juſſus eſt. Anno verò ∞. IↃ. LI. indictis generalibus Ordinis Comitiis, cùm valetudine parum validâ uteretur, tranſmiſſo ad Patres ſuæ præfecturæ ſigillo, per internuncium Aurelium Rochenſem abdicavit, & Pauſilypum, amœniſsimum Neapolis promontorium ſeſe contulit; ubi in cœnobio S. Mariæ de Conſolatione capto ſeceſſu, ſibi & Deo vacaret, rerum omnium terrenarum curis procul in mare ultimum abire juſsis. Sed interturbavit ſanctam viri quietem Carolus V. eamque ad infulam Aquilanam nominavit. Sed rebus Neapoli turbatis, legatus à Proceribus ad ipſum Carolum in Belgium proficiſcitur: apud quem tam diſertè dixit, ut veniam Neapolitanis, ipſi oratori pro bene obitâ legatione Archiepiſcopatum Salernitanum Cæſar donârit. Opimam mehercle, optimamque mercedem, ſi ambitioſus SERIPANDVS fuiſſet. ſed ille pluris æſtimabat quietam in Pauſilypo ſolitudinem, quàm omnes infulas & tiaras. Sacratus Romæ à

Iulio

Iulio III. Salernum ad Eccleſiam ſuam abiit, quam doctrinâ ſapientiſsimiſq; conſiliis ſic inſtituit, ut oves exerrantes non modò præceptis divinarum legum traditis ſtuderet reducere, ſed exemplo etiam, in quo vis major ſemper, quæ tradebat, & moribus ac vitâ ipsâ exprimeret. Anno ∞. IↃ. LIX. in funere Caroli Cæſaris oravit Neapoli tantâ cum laude, ut Antonius Portius aſſeruerit, *unum omnium Patavinæ Academiæ aſſenſum fuiſſe, quòd ſi Carolo, dum vitam ageret, funebria juſta curæ fuiſſent, ut erat gravi & ſingulari judicio, eum teſtamento cauturum fuiſſe, ne ulli homini, quàm* SERIPANDO *hoc munus deferretur.* An. deniq; ∞. IↃ. LXI. à Pio IV. Romam evocatus, in Cardinalium collegium aſſumptus eſt, ſub titulo S. Suſannæ, tantâ bonorum omnium adgratulatione, tantoque gaudio, quantum in animis rectè ſentientium ſumma dignitas virtuti tributa potuit excitare. Non multò pòſt ab eodē Pontifice ad Synodum legatus, abiit non aſſeclarum familiarium aut famulorum comitatu ſuperbus, ſed virtutum inſigni cohorte ſtipatus; ut oſtenderet ſe has tantùm, non harum ornamenta æſtimare. Magnam illic graviſsimorum negotiorum molem ſummâ cum laude ſuâ & omnium pænè gentium admiratione ſuſtinuit, preſeditque annis non omnino tribus;

tribus; quando anno ∞. IↃ. LXIII. tertio Eidus Martias ad Beatorum Synodum transiit, relicto apud doctissimos viros maximo sui desiderio. Tridenti in æde Augustinianâ S. Marci conditus est, brevi deinde hoc epitaphio ornatus:

HIERONYMO SERIPANDO CARD.
CONCILII TRIDENTINI LEGATO,
CHRISTOPHORVS PATAVINVS,
SODALITII EREM. MAGISTER P.
VIXIT ANNOS LXX. M.V. D.XI.

Si quis honos tumuli; quantum sol lampade lustrat
Terrarum, cælique, tuum est SERIPANDE *sepulcrum.*

Pauli Manutl epistola ad

HIERONYMVM SERIPANDVM

CARDINALEM CREATVM.

ALlato de tuâ dignitate nuntio, quem hîc ingenti lætitiâ boni omnes exceperunt, non sanè tuâ caussâ magis, quàm anteà, pro communi quidem Ecclesiæ bono, cui tantum ex honore tuo præsidii, tantũ spendoris accesserit, magnopere sum lætatus. Tu enim is es, cujus animus hæc humana numquam spectaverit, semper omnem spem omnemq; gloriam ac felicitatem in uno Deo, & in illâ cælesti vitâ,

rectè ac laudabiliter agentibus propositâ, collocaverit. Cui sunt occultæ mirabiles illæ tot annorum cogitationes, actiones, conciones tuæ? quæ si obscura fuissent, uno illo facto illustrarentur maximè, cùm illa præfecturæ generalis insignia, quæ libenter omnes assumunt, multò ipse libentiùs deposuisti. Quocirca non equidem magis, quia nunc Cardinalis es, quàm quia semper ita vixisti, ut Cardinalium collegio dignissimus esses, & mihi & omnibus lætandum intelligo. nec verò singularem, ac divinam Pii IV. Pontificis Maximi sapientiam admirari, & efferre laudibus unquam desinam; qui vexatam assiduo pravarum opinionum impetu, nec mediocri periculo fluctuantem Christianæ Reipublicæ navem, auctoritatis & doctrinæ tuæ pondere constituendam putaverit. Itaque non jam illas à septentrione horribiles procellas, à quibus anteà naufragium impendere videbatur, posthac timebimus. Pio IV. gubernante, quod utinam divina benignitas diuturnum esse patiatur, tuâ SERIPANDE, *tuorumque similium ope, summâ tranquillitate perfruemur. Id & speratur, jam indicto Concilio, quod unicum tantis malis eximia superiorum Pontificum sapientia remedium invenit: & mihi quidem si contigerit, ut ad eam diem spiritum ducere liceat, cùm sublatas in perpetuum exitiosi dissidii causas, unam in communi salute voluntatem, unum gregis universi pastorem ac moderatorem videam, satis me vixisse arbitrabor, & planè lætus ex hâc vitâ discedam. Interim fruar expectatione, & tibi*

tuisque

tuisque virtutibus, quas omnes laudant, utinam imitari vellent, eam quam debeo, observantiam, benevolentiamq; præstabo. Vale. Venetiis.

Monumenta librorum ejus sunt

Commentaria in omnes D. Pauli Epistolas.
Commentaria in septem epistolas Canonicas.
Exposit. in Evangelia, quæ in Quadragesimâ leguntur.
Quæstiones LXVII. *adversùs hæreses hujus temporis.*
Libri III. de hominis justificatione.
Tractatus de peccato originali.
Ad nonnullas quæstiones ex textu epistolæ Catholicæ responsiones, excusæ Antverpiæ ∞. IↃ. LXVII. & Venetiis ∞. IↃ. LXIX.
Conciones in symbolum Apostolorum, Nicenum, & Athanasii; linguâ vernaculâ.
Tractatus de justitiâ & libertate Christianâ.
De libris sacræ Scripturæ.
De Sacramentis in genere: de Baptismo; de Confirmatione.
De gratiâ, libero arbitrio, & prædestinatione.
Collecta & excerpta varia ex D. August. & aliis.
Farrago Concilii, de his quæ Tridenti & Bononiæ sub Paulo III. tractata sunt, seriesq; Tridentinarum actionum.
Conciones in Orationem Dominicam.
Sermones, quos in solennitatibus majoribus ad fratres habuit.
Compendium Chronicorum Ordinis.
Orationes complures.

ALBERTVS PATAVINVS Ord. Erem. S. AVGVSTINI,
concionibus, vita eximius hominesq; complures de
vitiorum coeno extraxit.

I. Fran. in.

ALBERTVS PATAVINVS.

PAtavini in publico urbis prætorio ad Borealem plagam oſtendunt peregrinis hoſpitibus Alberti civis ſui marmoream effigiem, doctrinamque Viri & eloquentiam adſcripto elogio Æternitati conſecratam. Is vitæ ſanctioris deſiderio mirè flagrans Eremitanum inſtitutum anno ſalutis ∞. cc. xciii. amplexus eſt, ſedulus deinceps imitari, quæ illâ in Religione pluria eaque inſignia videbat, doctrinæ & pietatis exempla. Quare Pariſios miſſus, Ægidium ibidem Romanum, celeberrimum eâ tempeſtate Theologum audivit; tantamque divinæ ſapientiæ ſupellectilem ſibi comparavit, ut ſacros libros magno & frequenti conſeſſu in Lutetianâ Academiâ juvenis adhuc publicè expoſuerit. Naturâ admodum pronus ad benedicendi artem, in eam tantâ animi contentione incubuit, ut primus habeatur, qui geſtuum piâ & variâ affectione ſuggeſtum exornârit, auditoreſque non modò dictione eruditâ quocunque voluit, flexerit; ſed doctâ ſimul manuum reliquorumque artuum moderatione

tione oblectaverit, rapueritque in sui admirationem. Certè Bonifacius VIII. tam celebrem Oratorem videre atque audire curiosus, ALBERTVM in Italiam accersivit, & ex pulpito pro concione declamare jussit. Inde reversus Parisios, scribendis libris totus incubuit, immò ante diem immortuus est, anno ætatis suæ XLVI. salutis humanæ ∞. CCC. XXIIX. tertio nonas Aprileis.

Porro Statuæ Patavinæ inscriptio sic loquitur:

Suprà.

ALBERTO EREMITARVM PATRI SINGVLARISSIMO, VITÆ CONTINENTISSIMÆ, PATRIA PATAVINO, STVDIORVM COLVMNÆ, ET REIPVBLICÆ CHRISTIANÆ SVMMO SPLENDORI.

Infrà.

ALBERTVS LIBERALIVM ARTIVM, AC VRBIS NOSTRÆ SPLENDOR, IN ORDINE EREMITARVM REGVLAM PROFESSVS, CONTINENTISSIMÆ VITÆ FVIT. IS CLARVIT INGENIO SVB CELEBERRIMO ÆGIDIO ROMANO EIVSDEM ORDINIS, SACRIS LITTERIS APPRIME IMBVTVS, SVMPTA PARISIIS INFVLA MAGISTRALI, TAM CLARVS EVASIT, VT PAVLVM APOSTOLVM, MOYSEN, EVANGELIA, AC LIBRVM SENTENTIARVM EXPOSITIONE SPLENDIDISSIMA RESERAVERIT, IDEMQVE ANTE OMNES SVÆ ÆTATIS VIROS FACVNDISSIMVS PRÆDICATOR IMMORTALI MEMORIÆ HIC OPTIMO IVRE DATVR.

De

De eodem Abbas Spanheimenſis libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

ALBERTVS PATAVINVS Ægidii Romani quondam auditor atque diſcipulus, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſæcularium litterarum non ignarus, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis ingenii fuit, & multos ab iniquitate ad ſemitam juſtitiæ ſuâ prædicatione convertit. Scripſit multa præclara volumina, quibus ſe & parentibus tunc utilem & poſteris memorabilem effecit.

Scripta ejus hæc ſunt

In Geneſin liber I.
In Exodum lib.I.
In Leviticum lib.I.
In Numeros lib.I.
In Deuteron. lib.I.
In quatuor Evangeliſtas lib.IV.
In Epiſtolas Pauli lib.XIV.
In Magiſtrum Sententiarum lib. IV.
Sermones Dominicales, lib.I.
Sermones de Tempore, lib. I.
Sermones de Sanctis, lib.I.
Sermones Quadrageſimales, lib.I. Venetiis 1584.
Sermones ad Clerum, lib.I. & alia quædam.

Ejuſdem meminerunt *Gratianus in Anaſtaſi, Cruſenius part. 3. c. 12. Pamphilus, Antonius Poſſevinus, Geſnerus, Joannes Friſius.*

GREGO-

GREGORIVS ARIMINENSIS
Ord. Erem. S. AVGVSTINI, Prior Generalis, vita, doctrina, celeberrimus. In vniuersitate Parisiensi eruditione clarus et Doctoris Authentici nomen obtinuit, plurima scripsit.

I. Fran. in.

GREGORIVS ARIMINENSIS.

GREGORIVS, Arimini in Romandiolâ natus, prævalido ingenii acumine, obſcuram & planè difficilem Philoſophorum, quos Nominales vocant, viam ingreſſus, pertinaci tandem ſtudio, omnes prophanæ & ſacræ Philoſophiæ anfractus penetravit. Lauream in Academiâ Pariſienſi ſupremam adeptus, cathedram ſummâ cum majeſtate implevit; tantamque nominis ſui auctoritatem conciliavit apud omnes, ut qui GREGORIVM magiſtrum non agnoſceret, omnia ignorare diceretur. Vnde Doctor *Authenticus* paſsim audivit: cui refragari velle, aliqua tunc inſania videbatur. Cùm tam inſignem viri doctrinam celebri præconio gymnaſia omnia cælo efferrent, Virtutem quoque alumni ſui ornare Ordo Auguſtinianus voluit, & ad ſupremum dignitatis Generalis apicem meritò attollere, Thomæ Argentinatis Antiſtitis doctiſsimi optimique, optimum doctiſsimumque

que ſucceſſorem. Poſitus in hâc illuſtri ſpeculâ, ſpem de ſe longè maximam facere viſus eſt bonis omnibus. Sed ſpem tantùm fecit: quo minùs fructus præclaros reapſe ederet, mors obnunciavit, quæ primo anno præfecturæ vixdum abſoluto, in primo felicis regiminis ſui curſu, ſplendidum illud Auguſtinianæ Religionis lumen extinxit. Obiit non ſine gravi totius Ordinis jacturâ Viennæ Auſtriæ, ubi etiamnum jacet, habetq; cum Thoma Argentinate & Iordano Saxone, viris illuſtriſsimis ſanctiſsimisque communem tumulum.

ABBAS SPANHEIMENSIS
de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

GREGORIVS ARIMINENSIS, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Prior Generalis, vir in divinis ſcripturis doctiſsimus, & in Philoſophiâ ſcholaſticâ multùm eruditus, ingenio & eloquio clarus, in gymnaſio Pariſienſi magnam eruditionis ſuæ gloriam ab omnibus commeruit, quippe qui vitâ & doctrinâ celeberrimus effulſit.

ANTO-

ANTONIVS POSSEVINVS
in Apparatu ſacro.

GREGORIVS ARIMINENSIS, quem nominant de Arimino, Ord. Auguſtiniani Prior Generalis, vitæ integritate, & acri judicio in Theologicis diſquiſitionibus ſuo tempore celebris: ſed qui inter nominales potiùs, quàm inter reales cenſetur.

Scripſit GREGORIVS

Super I. Sententiarum lib. I.
Super II. Sententiarum lib. I.
Super III. Sententiarum lib. I.
Super IV. Sententiarum lib. I.
Super omnes D. Pauli epiſtolas libros XIV.
Commentaria in epiſtolam Iacobi.
Sermones de tempore.
Sermones de Sanctis.
Tractatum de Vſuris. impreſſum iterum Arimini anno ∞. IↃC. XXII.
Tractatum de moribus Venetorum.
Tractatum de conditionibus Florentinorum.
Tractatum de intenſione & remiſſione formarum.

I. Fran. in.

PAVLVS VENETVS,
Ord. Eremit. S. AVGVSTINI, Theologorum
in Italia, suo æuo, Princeps. Floruit
in Gymnasio Patauino, ∞ CCCCCX.

C. Galle f.

PAVLVS VENETVS.

NON tantùm mercium peregrinarum commune & toto orbe famosum emporium, sed litterarum etiam & virtutum præclarum theatrum est Venetiæ: in quo PAVLVS sic personam suam egit, ut plausum à doctis probisque omnibus tulerit. Patria hæc illi vulgò est; tametsi locum ei naturalem, quem Iovi fabulæ attribuunt, Cretam insulam quidam esse voluerint. * Alii denique eum Vtinensem fuisse contendant. Certum est ad monasticen istic PAVLVM renatum esse, & sapientiam, cujus amore statim à puero flagravit, imbibisse. Litteras sacras Patavii, Bononiæ, Perusiæ, aliis in gymnasiis publicè professus est; monasticen tunc potissimùm, quando provinciæ suæ summam præfecturam administravit. Illa tamen eum maximè famigeravit: ut totâ Italiâ nominatissimus, omnes sui ævi Philosophos ac Theologos superare crederetur. Celeberrima ejus memoria apud Senenses est; qui memoriter

* *Ioannes Henricus à Pflaumeren in Mercurio Italico f. 66.*

meminerunt publicum ejus certamen, in quo hæreticum infamem Franciſcum nomine Porcarium, re autem verâ porcum (brutali enim ingenio fuit) glorioſo in agone vicit, & Italiam univerſam tetrâ hâc peſte liberavit. Plus illi debet Seraphica familia. nam Bernardini viri ſanctiſsimi, quos de benedicto & ſuaviſsimo nomine IESV dixit ſcripſitque, ſermones, male-volentium hominum dicteriis illuſos, ac lutulento commentario vitiatos purgavit, & ſcriptum auctoremque vindice calamo ab omni injuriâ apud poſteros tutatus eſt. Fuit porrò verborum affluens & diſertus Eccleſiaſtes PAVLVS noſter, natus ad permulcenda hominum pectora, quæ manu tenere, imò linguâ ſuâ, quò vellet, commovere videbatur. Illum tamen tam dulciloquum oratorem dura mors flexit, & ire juſsit communem omnibus viam, anno ∞.CCCC.XXIX. decimo ſeptimo Calendas Iulii. Habet Patavii, ubi conditus eſt, in templi ſacrario hoc epitaphium:

HIC IACET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR CLARISSIMVS, ET THEOLOGORVM MONARCHA, MAGISTER FR. PAVLVS DE VENETIIS, ORD. EREMITARVM S. AVGVSTINI, QVI OBIIT ANNO DOMINI 1429. DIE 15. IVNII.

IOAN-

IOANNES TRITHEMIVS
de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

PAVLVS VENETVS Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & in Philoſophiâ Ariſtotelicâ nulli ſuo tempore in Italiâ ſecundus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus & declamator egregius.

Libri ab eo in lucem editi.

Contra Iudæos lib. I.
Summa de naturalibus lib. I.
Sermones de tempore.
Sermones de Sanctis.
Sermones in Quadrageſimam.
De Conceptione Virginis lib. I.
De Incarnatione Dei lib. I.
De excellentiâ Verbi Dei lib. I.
Super Sententiis lib. IV.
Super libros Phyſicorum lib. IIX.
Super libros de generatione & corruptione lib. II.
Super libros de Animâ lib. III.
Super Metaphyſicam lib. XIV.
Summa philoſophiæ naturalis, lib. VI.
De compoſitione mundi, qui Aſtronomiæ janua nuncupari poteſt, lib. I.
Super libros Porphyrii lib. I.
Super prædicamenta lib. I.
Super libros poſteriorum lib. II.
Logica parva.
Logica magna.
Quadrantura circuli.
Super conſequentiis Strodi.
De notitiâ Dei.
De condendo Chriſtiano teſtamento.
De ortu & progreſſu ſui Ordinis.
Explicatio Dantis Aligerii Poëtæ Florentini.
Compendium explicationum Ioannis de Ripa Doctoris in I. Sententiarum.

Dum rogo, quem tecum valeam componere PAVLE,
En mox attonito ſic mihi fama refert:
Deſine ſcrutari, nec temet in omnia verte:
Cur ita? reſpondit; non habet ille parem.

B. AVGVSTINVS TRIVMPHVS,
Anconitanus, Ord. Eremit. S.P. AVGVSTINI, Prior
Generalis, vir eximiè doctus.
floruit in Concilio Lugdunensi,
I. Fran. inv.
CIↃCCLXXIV
C. galle fecit

B. AVGVSTINVS
TRIVMPHVS.

VENERANDVS hic vultus AVGVSTINVM TRIVMPHVM exprimit, gemmam Italiæ, Regum delicium, Scholarum oraculum, Religionis ſuæ miraculum. Hunc Anconæ debemus: ubi anno poſt reſtauratum orbem milleſimo ducenteſimo quadrageſimo & tertio natus eſt, patre Benedicto, ex veteri Triumphorum familiâ, jam inde ab Adriani I. temporibus illuſtri; quando Gratioſus ex eâ gente Novarienſis Epiſcopus, doctrinæ & ſanctitatis famâ apud Inſubres quàm clariſsimè illuxit. In puero quantus vir lateret, non difficile fuit præſagire. Id ſatis indicabant, ingenii ſingularis promptitudo, gravitas morum jam-tum matura, & quæ his potior, magna in Deum & parentes pietas. Primam ſtatim ætatem Muſis dedicavit; quas adeò, propitias habuit, ut non exiguam eloquentiæ laudem ſibi comparaverit. Ab earum familiaritate ad ſui amorem pellicere juvenem ſanctior ſapientia

conata eſt; ſed & trahere patruus Guilielmus, vir inter Eremitas Auguſtinianos doctrinâ eximius, & Hugoni, magno ex Dominicanorum Ordine Cardinali in chariſsimis. Itaque annos natus octodecim, inſtitutis monaſticis Eremitarum S. Auguſtini initiari voluit, nomineque illius nominari, cujus vitam imitari ſtatuerat. Auguſtinianis ergo fratribus adlectus, deinde in Logicæ tenebras introductus, non obſcuros progreſſus fecit; eodemque pede Philoſophiæ ſpatia emenſus eſt. Lanfrancus Septala, Ordinis Prior Generalis, acris ingeniorum æſtimator, ſtudio adoleſcentis delectatus, eum ad Theologiæ adyta intrare juſsit, & commendavit doctiſsimis eâ tempeſtate viris, Leonardo Viterbienſi, & Iacobo Peruſino: ſub quibus adeò diligentem ſacris litteris operam navavit, ut Clemens Auximas, qui Lanfranco ad Religionis gubernaculum admotus ſucceſſerat, AVGVSTINVM ſelegerit, qui unà cum Ægidio Romano Lutetiam Gallię proficiſceretur, & Theologorum ibi principes Thomam Aquinatem & Bonaventuram audirent: ubi ad ſummum eruditionis & pietatis apicem pervenit. Quod palàm in his caſtris oſtendit generoſus tiro, quando in arenam publicam miles deſcendit, & propoſita à ſe Quodlibeta in campo

Aca-

Academico eruditiſsimè propugnavit. Non multò pòſt, alia ſui ſpecimina illuſtriora dedit, editis in lucem aliquam-multis voluminibus. Ad famam doctrinæ ita graſſatus, Magiſtri titulum Pariſiis accepit; & cathedram aſcendit, privatam primò apud ſuos, deinde in Academiâ publicam, quam frequentiſsima diſcipulorum corona ſtipavit. Porrò, quantum cum ætate doctrina, tantum cum pietate incrementum ſumpſit in Catholicam Eccleſiam amor, pro cujus veritate & gloriâ uſque ad ultimum anhelitum generoſa bella bellavit. Fraticellorum deliramẽta, & mera ſomnia in lucem protracta uno ſed acri ſpiritu diſſlavit, animos ei faciente Simone de Bria, S. Cæciliæ presbytero Cardinale Gallo, qui deinde ad culmen Apoſtolicum evectus, Martinus IV. fuit. Augures, Arioli, Aruſpices & id genus ſycophantæ, graviter ab ejus ſtilo vapularunt, nugari deinceps non auſi. Anno ∞. CC. LXXIV. cùm ad indictum à Gregorio Decimo Lugduni generale Concilium profectus Thomas Aquinas Theologorum phœnix, à Deo interim vocatus ad Beatorum concilium in cælum abiiſſet, AVGVSTINVS noſter à Romano Pontifice in defuncti locum delegatus, egregia apud omnes Patres doctrinæ ſuæ monumenta reliquit. A Concilio,

ſtatim evocatus à Patavinorum Principe Franciſco Carrara, divini verbi ſementem uberem Patavii jecit. Illinc ad ſuos in patriam rediit: ubi librariorum calamos fatigavit, emiſsis in lucem doctiſsimis commentariis. Enimverò cùm non modò per Galliam univerſam, ſed Italiæ etiam omnes angulos fama doctrinæ ejus volitaret, aures quoque & animum Caroli II. Neapolitanorum Regis titillavit: qui magnâ viri tam celebris videndi & compellandi cupidine laceſsitus, deſtinavit Anconam cum regiis triremibus viros graviſsimos, qui AVGVSTINVM magnificis promiſsis ſibi delenirent, & Neapolim pertraherent. Ille verò Regis clariſsimi pollicita non inſuper habenda ratus, voluntati legatorum ſeſe permiſit, & mari commiſit. Neapoli humaniſsimè à Rege, & filio ejus Roberto exceptus eſt: quibus ſingulari morum ſanctitate, prudentiaque ſe ita leniter inſinuavit, ut eum magno in pretio habitum ad intima etiam Regni conſilia adhiberent; cujus ore, ut erat vir diſertiſsimus, apud Chriſtianos Principes loqui ſæpè ſæpiùs voluerunt; nempe, qui negotia tam dextrè obibat, ut omnia expediret feliciſsimè. Cùm ergo eximiâ apud Reges potentiſsimos auctoritate polleret, quanto erga matrem ſuam, Religionem amore ferretur,

retur, oſtendere conatus eſt, cui in magnę Græciæ ſive Calabriæ præcipuis urbibus monaſteria multa obtinuit,& filiam novam, novam inquam provinciam generavit. Anno deinde ſeculari ∞. CCC. dum generalia Ordinis comitia Neapoli ſolenniter celebrantur, honorem Auguſtinianæ Religioni hunc detulerunt Rex optimus & optima Regina, ut Patrum conventum præſentes decorare,& regiis donariis auctare voluerint. Illud autem ceteris omnibus pretioſius fuit, ſancti putà Lucæ Evangeliſtæ venerandum caput, quod per TRIVMPHI, in manus Patrum congregatortm traditum eſt; qui illud in ædem D. Auguſtini celebriter intulerunt, religiosè deinde ab omnibus habitum, cultumque. Et AVGVSTINVS quidem in oculis Regis, in regiis negotiis totus erat. ex intervallo tamen ſubciſivam ſibi horam ſuffurabatur, quam ſcribendo impenderet. Quàm curiosè, poterunt illi arbitrari, qui lucubrationes ejus, in medio curarum aulicarum freto, luci datas, pervolverint. E quibus illud eſt opus elaboratiſsimum de poteſtate Eccleſiaſticâ, quod ſummo Eccleſiæ capiti Ioanni XXII. inſcriptum ivit. & fatentur viri doctrinâ & ingenio præſtantiſsimi, nihil in hoc genere ſcribi potuiſſe eruditum magis aut magis abſolutum. Auctoritas

ritas porrò ſententiarum ejus quanta tum fuerit, facilè quivis intelliget, qui viderit Ioannem Andreæ, S. Antoninum, Turrecrematam, Felinum, Decium, pluresque ſuperiorum ſæculorum Iuriſconſultos doctiſsimos, & hujus noſtri viros eruditiſsimos Martinum Navarrum, Didacum Covarruviam, Melchiorem Canum, aliosque, verba AVGVSTINI uſurpare, & ab ejus doctrinâ, ſuæ fundamentum quærere. Cùm ergo ſacros libros commentando, & Reipublicæ Chriſtianæ augmentum quà linguâ, quà ſtilo, promovendo, omnes vitæ ſuæ annos piè & gloriosè impendiſſet, curriculo feliciter conſummato, tandem metam attigit TRIVMPHVS noſter, & ſolutis carnis vinculis IV. Nonas Aprileis, anno reparatæ ſalutis ∞. CCC. XXIIX. ætatis verò LXXXV. evolavit ad ſupremum Agonothetam, præmium & triumphum, quem de ſuperatis profligatisque animæ hoſtibus promeruit, poſtulaturus. Sanctitatis teſtimonium ei dedit ſuum ſeculum, quando in lapide ejus ſarcophago nomen Beati inſculpſit. Et

Raphaël Volaterranus gravis auctor,
Anthropol. l. XXI. §. *Eremitarum Ordinis viri f.* 764.

AVGVSTINVS, inquit, *Anconitanus plures & utiles*

utiles commentarios reliquit, inter quos de Ecclesiasticâ potestate ad Ioannem XXII. *Vitæ prætereà integritate & abstinentiâ clarus: quapropter in Beatorum & ipse numero censetur.*

Antonius item Possevinus in Apparatu sacro:

AVGVSTINVS TRIVMPHVS *sanctè decessit ex hac vitâ, ut etiam Beatum plerique illum appellaverint.*

Denique Renatus Choppinus, *Monasticωn lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 15.

Quod attinet ad Eremitas Augustinianæ Societatis, adscripti sunt Cœlitum catalogo Nicolaus Tolentinas, Augustinus Siculus, AVGVSTINVS *Anconitanus, &c.*

Hieronymus certè Seripandus S. R. E. Cardinalis, Iosephus Pamphilus Episcopus Signinus, aliique è familiâ Augustinianâ gravissimi auctores, eum semper & scripto Beatum nominaverunt, & penicillo imaginem ejus Beatorum radio illustrem expressérunt.

B. AVGVSTINI TRIVMPHI EPITAPHIVM,

Quod est Neapoli in Ecclesiâ S. Augustini.

ANNO. DOMINI. M. CCC. XXVIII.
DIE. SECVNDA. APRILIS.
INDICTIONE. XI.
OBIIT. BEATVS. AVGVSTINVS.
TRIVMPHVS. DE. ANCONA.
MAGISTER. IN. SACRA. PAGINA.
ORDINIS. PATRVM. EREMIT.
SANCTI. AVGVSTINI.
QVI. VIXIT. ANNOS. LXXXV.
EDIDITQVE. SVO. ANGELICO. INGENIO.
XXXVI. VOLVMINA. LIBRORVM.
SANCTVS. IN. VITA. ET
CLARVS. IN. SCIENTIA.
VNDE. OMNES. DEBENT. SEQVI.
TALEM. VIRVM. QVI. FVIT.
RELIGIONIS. SPECVLVM.

Aut patris Augusti subiit mens aurea pectus,
Pythagoræ sensu, Magne TRIVMPHE *tuum:*
Aut tibi postremâ quondam moriturus in horâ,
Et genium liquit, ingeniumq; suum.

Scripta

Scripta ejus ſunt

Quodlibeta. quæ Pariſiis publicè defendit.
In quatuor libros Sententiarum.
Contra divinatores & ſomniatores, hortatu Simonis S.R.E. presb. Card. S.Cæciliæ.
Super facto Templariorum.
Liber de amore Spiritûs Sancti, &
Alter de reſurrectione mortuorum: quos Leonardo Quercino S.R.E. Cardinali Albano dedicavit.
De Spiritu ſancto contra Græcos.
De prædeſtinatione & præſcientiâ.
De libero arbitrio.
De conſolatione animarum beatarum.
Decretalem, Firmiter, de ſummâ Trinitate, & fide Cath. explanavit: rogante Ioanne Britanno viro illuſtri, & Eccleſiæ Varadienſis rectore.
In Ezechielem.
In Matthæum.
In Marcum.
In Ioannem.
In Pauli Epiſtolas omnes lib. 14.
In omnes Pauli epiſt. catena Patrum.
In Epiſtolas Canonicas.
In acta Apoſtolorum.
In acta Apoſtolorum catena Patrum.

In Apocalypſin.

In Epiſtolas Pauli & Canonicas. novum & copioſiùs ingenioſiuſque opus tertiò edidit, quod Gerardo Archidiacono Tholoſano, Gerardi Parmenſis Cardinalis Epiſcopi Sabinenſis nepoti inſcripſit.

In cap. 1. Lucæ ſuper Miſſus eſt.

ſuper Ave Maria.

ſuper Canticum Magnificat.

De introitu terræ promiſſionis.

De cantico ſpirituali ſive de decem chordis.

De poteſtate Eccleſiaſticâ ad Io. XXII.

De poteſtate collegii, mortuo Papâ.

De poteſtate Prælatorum.

De theſauro Eccleſiæ.

De ſacerdotio & regno, ac de donatione Conſtantini.

De prædicatione generis & ſpeciei.

Deſtructio arboris Porphyrianæ.

De cognitione & potentiis animæ.

Expoſit. & quæſt. in l. priorum Ariſt.

Commentatio in lib. poſteriorum.

Commentarios in libros priorum & poſteriorum, diſtinctiùs poſteà ornatiusque digeſsit, rogatu Conradi, filii Guidonis Comitis montis Silicis, Fratris Auguſtiniani, diſcipuli ſui.

Commentatio ſuper duodecim libros Metaphyſicorum.

Ejuſ-

Ejuſdem Summa de poteſtate Eccleſiaſticâ, edita Romæ an. 1584.

Commentarius item in Canticum Mariæ, ab Angelo Rocca Camerte Auguſtiniano, Romę an. 1590.

Commentarius in ſalutationem & annunciationem Angelicam, ab eodem ibidem 1592.

Sermones ejus Dominicales ad Clerum, &

Sermones de Sanctis ad eundem, extant M. ss. Romæ in bibliothecâ Auguſtinianâ.

Tabula ſive Index in Moralia S. Gregorii, aliosque ejus libros & tractatus eſt in bibliothecâ S. Marci Mediolani.

Milleloquium, inſigne ex ſcriptis D. Auguſtini volumen *idem inchoavit, ſed mors interveniens ſcribentem interturbavit. Bartholomæus deinde Vrbinatium Epiſcopus & ipſe Auguſtinianus perfecit. quare & hujus nomen præfert.*

Ceterùm omnia B. AVGVSTINI TRIVMPHI opera, civium Anconitarum ſumptibus ex archetypis deſcripta, in magnis pulcherrimisque voluminibus habet Romæ Vaticana Bibliotheca.

CHRISTOPHORVS PATAVINVS Philosophus et Theologus eximius, floruit in Concilio Tridentino. obijt Romæ non sine sanctitatis opinione ∞ IↃ LXIX. cum Ordinem Erem. S. Aug. an. XVIII felicißime gubernasset.

CHRISTOPHORVS PATAVINVS.

RAra in hoc viro ingenium, doctrina, eloquentia fuerunt: quæ Pontifici Maximo, & ſacrato purpuratorum Patrum Senatui probavit frequenter, quando ex munere (Ordinis ſui Procurator Generalis erat) in æde Vaticanâ graviter, diſerteque, & cum omnium admiratione peroravit. Sed morum imprimis probitate ſuis ſe fratribus commendavit, qui in Comitiis Bononiæ habitis anno ∞. D. LI. Hieronymo Seripando præfecturæ onus excutiente, eum ſibi prælatum conſpirantibus ſuffragiis voluerunt. Quo in munere, perſonæ dignitatem tam blando ſinceroque ore condiebat, ut prorogato in duodeviginti annos imperio, non tantùm ut à filiis pater obſervaretur, ſed etiam ut patronus à clientibus veneranter coleretur. Iudicii & prudentiæ egregium ſpecimen dedit in Concilio omnium celeberrimo, quod Tridenti à Paulo III. inchoatum, à Iulio III. continuatum, ſub Pio IV. tandem felicem exitum habuit: ubi doctrinæ &

ſanctitatis famâ ita inclaruit, ut, quem poſtremum nominavi, Pius IV. purpuræ ornamentum PATAVINO noſtro deſtinarit. Sed vocē Pontificis pronunciaturi fatalis hora præcucurrit, quæ vitam illi & galerum eripuit. Eripuit? imò utrumque contempſit, deſiderans diſſolvi potiùs, & cum Chriſto eſſe. Cùm enim ad annorum pondus febris etiam accederet, quæ ei gravis incumbere, & ad communem mortalibus omnibus terminum urgere cœperat, corde adhuc vegeto, & plenâ animi in Deum fiduciâ, aſſumptam in manus Chriſti crucifixi imaginem (ut non ſolo nomine CHRISTOPHORVS eſſet) frequenti oſculo amplexatus, fratres imprimis ſuos circumſtantes, totumque Ordinem ardentiſsimis verbis & lacrymis Chriſto Servatori commendavit, ſeſe deinde eidem plenâ pietatis oratione committens, *Trahe me*, inquit, IESV *Chriſte, trahe me poſt te; curremus in odorem unguentorum tuorum*: clarâ denique & intrepidâ voce, cùm ternâ vice verſum illum, *In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum*, repetiviſſet, (religioſi viri verè pulcrum exemplum) ſacræ crucis amplexibus immortuus eſt, Romæ 4. Februarii ∞. D. LXIX. Beatus ille, ſi *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Alumni Patavini Patri ſuo optimè de ſe & totâ Religione

atque

atque universâ Ecclesiâ merito hoc in portâ sacrarii Epitaphium dedicarunt.

CHRISTOPHORVM PATAVINVM, MAGNI NOMINIS PHILOSOPHVM AC THEOLOGVM, AVGVSTINIANÆ RELIGIONIS PER ANNOS DVODEVIGINTI GVBERNATOREM GENERALEM, SVMMIS PONTIFICIBVS CARISSIMVM, IN CONCILIO TRIDENTINO DE REPVBLICA CHRISTIANA OPTIME MERITVM, AD OMNIVM AVGVSTINIANORVM COMMODVM DIGNITATEMQVE TVENDAM DIVINITVS DATVM, HIC CONVENTVS PARENTI SVO BENIGNISSIMO IMMORTALITER DEDITVS, IMMORTALI COLIT VENERATIONE.

OBIIT AN. SAL. M.D.LXIX. VIX. ANN. LXVIIII.

Antonius Possevinus in Apparatu sacro.

CHRISTOPHORVS PATAVINVS *Augustinianus Prior Generalis, Theologus, & Philosophus, ac vitæ innocentiâ clarus.*

Scripsit

Scripſit

De ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.
De Sacrificio Miſſæ.
De Pœnitentiâ.
De Extremâ Vnctione.
De Sacramento Ordinis.
De voto ſolenni.
Tractatus varios pertinentes ad Sacramentum Matrimonii.
De hoſtiâ conſecratâ ab igne conſervatâ.
De Sacramento Confirmationis.
De ſacerdotibus Concubinariis.
De baptiſmo Chriſti & Ioannis.
De Iuſtificatione.
De Epiſcoporum reſidentiâ.
De officiis Cardinalium & Epiſcoporum.
De Simoniâ.
De beneficiorum regreſſibus, acceſſibuſque & compoſitionibus.
De modo conficiendi catalogum Auctorum, qui ab Eccleſiâ interdicendi ſunt.
Articulos diſputatos in Concilio Tridentino.
Orationes varias quas coram ſummo Pontifice & S. R. Eccleſiæ Cardinalibus, ad Fratres, &

in Synodo Tridentinâ habuit.

Commentaria in epist. Pauli ad Galatas M.S. in Bibliothecâ Patavinâ apud Eremitanos vidisse se scribit Possevinus.

Dum cruce pendentis frueretur imagine Christi
CHRISTOPHORVS, *magnâ talia voce refert:*
Me trahe Christe, precor, trahe me, curramus ut ambo:
Quid tardas? trahe me, me trahe, Christe, trahe.
Dixit, & effectus voti mox compos obivit.
Quis putet hunc morbo, non & amore mori?

T ONV-

ONVPHRIVS PANVINIVS Veronenſis, Or.
Ere. S. Aug, antiquitatum indagator ſolertiſſimus,
Panormi fato immaturo e viuis raptus eſt. Æta
ſuæ Aº 39 inchoato Dñi, 1568 die 18 Kal. April.

I. Fran in.

ONVPHRIVS PANVINIVS.

VERONA, Cenomanorum urbs antiqua & ampla, Brenni Gallorum Ducis opus, cùm civium nobilitate, populique frequentiâ semper floruerit, tum multò clarissima fuit à viris, quos ingenio doctrinâque præstantissimos edidit. Cives illius sunt Poëtarum amœnissimus Catullus, Æmylius, Macer, Guarinus Orator, & naturæ nimiùm curiosus indagator Plinius, nunquam perituris æternæ famæ tabulis inscripta nomina: quibus non exiguum additamentum jungitur ONVPHRIVS noster PANVINIVS, vir ingenii maximi, & simul (quod insolens) studii indefessi; cui quantum tota Respublica litteraria debeat, memorari ex justo nequit. Sacram omnem profanamque historiam non modò evolvit accuratissimè; sed rerum præterea seriem ac tempora distinxit, expressit, lumenque accendit omnibus, qui ad scribendum postea animum appulêre. Tomos duos Annalium priores,

quos magno cum Ecclesiæ fructu atque ornamento perscripsit Cæsar Baronius, noster ONVPHRIVS delineasse anteà, & primam eorum graphidem posuisse creditur; quos deinde Cardinalis composuerit, poliverit, evulgaveritque. Creditu admodùm difficile est, quàm profundè se libris quasi immerserit, ut planè immori illis, aut potiùs in iis solis vivere videretur. Primum vitæ florem, & quod reliquum vitæ (nimiùm brevis) duxit, totum lucubrationibus assiduis consecravit. Hinc non tantùm eruditissimis, sed Principibus quoque viris in pretio fuit: quod ei exitio fuisse exitus comprobavit. Cùm enim Alexandrum Farnesium S. R. Ecclesiæ Cardinalem & Pro-Cancellarium in Siciliam comes secutus fuisset, Panormi fato iniquo, quia immaturo, è vivis raptus est: sed memoriam ejus nulla dies eripiet, quam librorum præclara monumenta immortalem reddiderunt.

Obiit ætat. suæ anno 39. inchoato Domini 1568. 18. Calend. April.

Vidit ut ONVPHRI jam lumina morte natare,
Musa, cui Historicâ nomina laude fluunt:
At tibi fatalis, clamat, tristisque Panorme,
Historiæ tollis quæ mihi grande jubar;
Ipsa memor quoties fueris morientis ONVPHRI,
Ex oculis lacrymæ fluminis instar eant.

Viro-

Virorum doctissimorum de ONVPHRIO PANVINIO TESTIMONIA.

Paulus Manutius l. 2. Epist. 4. ad Antonium Augustinum, Pontificis Romani ad Regem Romanorum Legatum.

ONVPHRIVS PANVINIVS, *ille antiquitatis heluo, spectatæ juvenis industriæ, & ingenio ut probitate præstans, hîc est, eritque, ut video, in aliquot menses. Imprimit suos Fastos cum commientariis, & interim adornat alia. sæpè litigat obscuris de rebus cum Sigonio nostro: sed utriusque bonitas, mutuus amor, excellens ad cognoscendum judicium facit, ut inter eos facilè conveniat.*

Idem lib. 3. epist. 17. ad M. Antonium Muretum.

Libri aliquando exierunt, quos ad te mitto, ONVPHRII PANVINII: *Non dubito, cùm legeris, quin meum de illius præstanti virtute testimonium confirmes. Habet alia in manibus, unde fructum studiosi capere vel maximum possint. Quæ ut edat maturiùs, otium illi exoptare, qui rerum nobilium scientiam appetunt, omnes debent.*

Ioſephus Scaliger lib. v. de Emendatione temporum f. 248.

ONVPHRIVS, *optimus vir, & in cujus obitu omnes numeri Hiſtoriæ collacrumarunt.*

Idem lib. VI. f. 264.

ONVPHRIVS PANVINIVS *eſt Pater Hiſtoriæ.*

Ioannes Friſius in diebus emortualibus virorum armis litteriſque celebrium.

ONVPHRIVS PANVINIVS *Veronenſis Eremita Auguſtinianus, antiquitatis indagator ſolertiſſimus.*

IVSTVS LIPSIVS
in Panegyrico Plinii.

ONVPHRIVS, *verus pater Principalis hiſtoriæ & Faſtorum.*

IACOBVS AVGVSTVS THVANVS
Hiſtoriarum ſui temporis lib. XLIII.

ONVPHRIVS PANVINIVS *Veronenſis Eremita Auguſtinianus, vir ad omneis & Romanas, & Eccleſiaſticas antiquitates è tenebris eruendas natus: quod præclara ejus & ad omnem æternitatem victura monimenta teſtantur. Qui Alexandrum Farneſium Cardinalem præcipuum patronum ſuum in Siciliam proſecutus, alieniſſimo & ſibi & publicæ*

publicæ utilitati, cui in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ concinnandâ inſerviebat, tempore, Panhormi obiit XVIII. *Kalend. April. cùm annum tantùm ætatis* XXXIX. *attigiſſet.*

ONVPHRII PANVINII

Libri, qui publicam lucem viderunt, prælo expreſsi.

Epitome Pontificum Romanorum à S. Petro uſque ad Paulum IV. Geſtorum videlicet, Electionisq; ſingulorum, & Conclavium compendiaria narratio. Venetiis 1573.

Cardinalium item nomina, dignitatum tituli, inſignia, legationes, patria, & ſitus. Venetiis 1557.

Platina de vitis Pontificum reſtitutus, cum LX. *ad eas Adnotationibus, & Additione Pontificum à Sixto IV. uſque ad Pium IV.*

De præcipuis urbis Romæ ſanctioribus baſilicis, quas VII. *Eccleſias vulgò vocant. Coloniæ* 1584.

De primatu Petri, & Apoſtolicæ Sedis poteſtate, libri III. Venetiis 1591.

Chronicon Eccleſiaſticum à C. Iulii Cæſaris imperio uſque ad Imperatorem Maxæmylianum II. Coloniæ 1568. *& Lovanii* 1573.

De antiquo ritu baptizandi catechumenos, & de origine benedicendi imagines cereas, quæ Agnus-Dei vocantur. lib. I.

De Sybillis.

Chro=

Chronicon Ordinis Eremitarum à D. Auguſtini tempore uſque ad annum 1550.

Interpretatio multarum vocum Eccleſiaſticarum quæ obſcuræ vel barbaræ habentur. lib.I.

De ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos, & eorum cœmeteriis. lib.I.

De Stationibus Vrbis Romæ. lib.I.

Faſti & Triumphi Romanorum, à Romulo uſque ad Carolum V. Imperatorem, additis Impp. Occidentalium & Orientalium iconibus. Venetiis an. 1557. *&* 1573. *item Heidelbergæ* 1588.

Commentarii Reip. Romanæ. libri III. Venetiis an. 1558. *& Francofurti* 1597.

Commentarius de Triumpho. Venetiis in folio regali 1571.

Commentarii in Faſtos Conſulares. Ibidem.

Civitas Romana. Ibidem 1558.

Viginti ſeptem Pontificum Rom. elogia & imagines accuratiſſimè ad vivum æneis typis delineatæ.

Libri IV. de Impp. Romanis, Græcis & Latinis: déque iis, qui ſuum habuere imperium in Italiâ, Gothis, Longobardis, Francis, Germanis, Hiſpanis, & aliis Nationibus, cum eorum Genealogiis & Arboribus à Cæſare uſque ad Ferdinandum Imperatorem.

Liber de ludis Circenſibus cum æneis iconibus. Venetiis an. 1602. *& Pariſiis* 1600.

Libri

Libri qui prodierunt manu ſcripti.

Quinque libri de Comitiis Imperatoriis, quibus expendun-
tur varii, atque adeò omnes modi eligendorum Impera-
torum à Cæſare uſque ad Maxæmylianum II. cum In-
ſtitutione VII. Electorum Imperii. Extant Monachii
in Bavaricâ Bibliothecâ.
De Eccleſiâ, Baptiſterio, & Patriarchio Lateranenſi.
Hiſtoria familiæ Frangipaniæ. libri IV.
Hiſtoria familiæ Sabellæ. libri IV.
Hiſtoria familiæ Maximorum. lib. I.
Hiſtoria familiæ Cenciorum. libri II.
Hiſtoria familiæ Matthæorum.

Libri abſoluti, ſed in lucem non emiſſi.

De origine ſeptem ſacrorum Ordinum lib. I.
Collecta è viginti libris ſpiritualibus ſive cærimonialibus
de ſacrificio Miſſæ, à Chriſti Domini tempore uſque ad
annum ∞. CCC. unà cum pleriſque declarationibus
rerum Eccleſiaſticarum, Stationum, Indulgentiarum,
ſive Condonationum; Interpretatione quoque rerum,
ſeu verborum à Scriptoribus Eccleſiaſticis uſurpatorum.
De dignitate Sedis Apoſtolicæ, & de poteſtate Summi
Pontificis contra Centuriatores hæreticos. Quæ & in-
ſcripta eſt Hiſtoria Eccleſiaſtica.
Quinque libri de Creationibus Summorum Pontificum: de-

 que

que morte ipſorum, inter-regno, legibus eâ de re ſanci-tis, à D. Petro uſque ad Pium IV.

De origine Cardinalatûs.

Chronicon Eccleſiaſticum Summorum Pontificum, Imperatorum, Patriarcharum, Conciliorum, Virorum ſanctitate ac doctrinâ illuſtrium.

Vitæ Patriarcharum quatuor primarum ſedium.

Libri X. de antiquis & recentioribus Eccleſiis, Monaſteriis, Cœmeteriis, & aliis piis locis Vrbis Romæ.

Breve judicium de Hiſtoricis antiquis, Latinis & Græcis.

De antiquis Vrbis Romæ ædificiis.

De Antiquorum ſuperſtitione, ſacrificiis, auguriis, haruſpiciis, ſortibus, ſacris epulis.

De Porticibus una cum tribus millibus Inſcriptionum Romanarum.

Libri X. de Antiquitate, & Hiſtoriâ Virorum illuſtrium Veronæ, ſuæ patriæ.

Libri partim delineati, partim ſemiabſoluti, partim abſoluti, ſed non recogniti.

De antiquis inſtitutis, ritibus, cærimoniis, & uſibus Eccleſiæ Romanæ.

De antiquis Officiis & Magiſtratibus Vrbis Romæ.

Brevis collectio Conciliorum Generalium, & Provincialium.

Vitæ Archiepiſcoporum & Primatum primariarum Eccleſia-

eſiarum Occidentis, Aquileiæ, Gradenſis, Ravennæ, Mediolani, Moguntiæ, Treveris, Coloniæ, Toleti, Canturberii, Senonenſis, Lugduni, Carthaginis, & eiuſmodi aliarum.

Hiſtoria Ordinis Eremitanorum; & de Origine aliorum Ordinum Religioſorum, qui ſunt apud Chriſtianos.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Vniverſalis.

Breviarium Imperii Romani, cum iis, quæ pace bellóve geſta ſunt Romæ, & foris, à Romulo uſque ad Iuſtinianum Imperatorem.

Volumen, quo univerſus mundi ſtatus deſcribitur; tam de iis, quæ ad Religionem, quàm quæ ad Politiam ſpectant. Itaque & de ſectis, hæreſibus, Ethnicâ impietate. De verâ autem Religione imprimis, mox de falſis ſeu abolitis, Iudaicâ, Mahometanâ, & aliis: deinde & de Imperiis, Regnis, Rebus-publicis, Bellis inter eas, Opibus, Dependentiis, ut vocant, & Origine uniuſcuiuſque Principatûs.

FRANCISCVS RICHARDOTVS Ord. Erem. S. AVGV,ˢ
Episcopus Atrebatensis, in Conc. Trid Orator ad miraculum
vsque facundus, Ecclesiæ, et Belgio mors eum eripuit.
VII Kal. Aug. CIↃ IↃ LXXXIV.

FRANCISCVS RICHARDOTVS.

RICHARDOTORVM illustris hodie apud Belgas familia splendorem FRANCISCO huic debet, cujus nomen & scutum gentilitium Ioannes, ejus ex sorore nepos (sed, hui! quantus vir) in domum suam transumpsit, felici deinde traduce in posteros multis honorum & laudum titulis cumulatissimum & nunquam intermoriturum propagavit. At enim FRANCISCVS in Burgundiæ comitatu oriundus, juvenis admodùm Champliti Augustinianam regulam professus, cœpit ingenii statim, virtutisque suæ primos radios evibrare. Tornaci veluti per nebulam, sed Parisiis clarissimè, ubi primum supra vigesimum annum dumtaxat ingressus, publico è pulpito Divi Paulli epistolas summâ cum laude explanavit. Sed cùm æstuantis animi juvenili impetu in nescio quam sententiam abreptus, sinistram apud Sorbonenses Patres suspicionem incurrisset, reliquit Lutetiam, & cum Blasio Piperio Augustiniano, viro

Ioannes Richardotus sanctioris curiæ Bruxellis præses.

non minùs erudito (qui posteà cœnobii Montis-Benedicti in comitatu Burgundico ad Lycum Abbas fuit) in Italiam abiit. Vbi cùm hæsisset annos aliquot, adhæsissetque hominibus doctissimis, insignem omnium scientiarum thesaurum collegit, cui decus & pretium addebat eloquentia, quâ usque ad miraculum valebat. Dixisses os illi Medusæum esse, quod cùm in suggestu aperuisset, attonitos & planè obstupidos reddebat auditores.

----- *nec dignius unquam*
Majestas meminit sese Romana loquutam.

Ille enim, (nullâ hîc utor hyperbole)

Ὁ ποτε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομεῖς,
Ἐν δέκα ποδῶν ἤρξ λέγων τοὺς ῥήτορας·
Ταχὺς λέγειν μὲν, ποὸς δέ γ' αὖπαλ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἀπὸ τῶν χειλέων·
Οὕτως ἀκήλει, καὶ μόνῳ τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Optimus ut cursor, pedibus promotos decem
Facilè vincebat oratores ceteros:
Velox loquendo; sed cum veloci impetu
Suada insedebat labiis illius;
Ita delenibat homines, unusque omnium
Linquebat stimulos in animo audientium.

Hisce ergo animi dotibus eximius, facilè, nullâ pararii operâ usus, transivit in familiam Antonii

tonii Perenotti Granvellani Atrebatium Episcopi, in quâ tum Iustus Lipsius, aliíque viri litteratissimi erant, & Romanum cum illis iter ingressus est. RICHARDOTI autem ingenium doctrinamque tanti fecit Granvellanus, ut eum ad initia Vesontione nascentis Academiæ adhibere voluerit. Vbi dum sacras litteras publicè interpretatur, ab Archipræsule in pro-Episcopum assumitur, & titulo Christopolitani consecratur. Sed in cathedram Mechlinienſem, quam in metropolitanam Pius IV. erexerat, Gravellano translato, RICHARDOTVS in Atrebatensem succesit. Ibi tum ἀρχὴ τὸν ἄνδρα ἔδειξεν. Belgicas Regis Catholici provincias turbarant homines quidam impuri, fidei humanæ & divinæ juxtà desertores, Galliæ Germaniæque ejectamenta, & monstruosas de religione opiniones, de pudendo Calvini lilieto decerptas, haustas ex Lutheri poculo catechistico, populo novæ doctrinæ avido plenis & spumantibus carchesiis propinaverant. Dulci hoc temeto correpti statim & corrupti plebis animi, afflati deinde primarii in Regiâ viri arrogarunt sibi de fidei controversiis suffragia, & palàm de religione arbitrari voluerunt. Ivit res in tumultum, jamque in Belgio stabant

Magistratus viram probavit. *Arist. l. 5. Mor.*

Omnia fanda, nefanda malo permista furore;

ut

ut jam nihil quemquam puderet, neque legibus ullus locus esset. Vt pestem hanc ab Artesiis suis FRANCISCVS averteret, immane quantum laboravit; cùm frequens in sacris ædibus ad populum è cathedrâ, in exedris è pulpito ad discipulos Duaci (ubi Rex Philippus, annitente in primis RICHARDOTO Academiam instituerat) Episcopus & Professor Theologus dixit, effecitque divinâ quâdam facundiâ, ut venenaria hæreticorum dogmata nemo sanus biberet, evomeret iterum, qui toxicum imprudens antè imbibisset. Doluerunt hæreticis omnibus oculi; quòd eorum quidam antesignanus & præco-ministerDuaci, Episcopi argumentis convictus, malesanam sectam, quam studiosè coluerat, aluerat curiosè, ejuraret, & ad gremium Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ rediret. Frendere interim illi & fremere, minari & machinari RICHARDOTO malum & necem, quando illo salvo, sua omnia ubique dogmata pessum ire manifestò viderent. Orabat fortè Armenteriæ in Flandriâ Antistes, & pro Catholicæ fidei veritate solidam ex intimâ doctrinâ orationem formabat, firmabatque populum in majorum antiquâ religione, cùm ecce lucifuga quidam de fæce Calvinianâ nebulo bene armati sclopi rotulam laxat, plumbeamq; glandem

dem ejaculatur in concionantem. Sed ſtetit Præſul non omnino tactus; tectum manu divinâ pii credidêre. Ioannes à Blitterſwijck Cartuſiæ Bruxellenſis alumnus, factum hoc mirandum calamo poëtico non ineptè expreſsit.

Parva Armenteria eſt urbs Flandrica, plebe fideli
Inclyta, & antiquæ relligionis amans.
Quam dum FRANCISCVS celſis ambonibus extans
Voce RICHARDOTVS ſuave-tonante docet,
Perfidus exerto petit hunc paricida ſclopeto,
Diſclusóque tubo glande vibrante quatit.
Sed Deus ipſe virum cœlesti numine tutum
Fecerat adversùs fulmina, tela, globos.
I nunc perfidiæ miſerabilis hæreſis altrix,
In ſolem aut cælum perfida tela jace.
In caput illa tuum recident, dabis impia pœnas,
Et te ſulphureo perpluet igne Deus.

Porrò in Concilio Tridentino cum aliis Epiſcopis optimam Chriſtianæ Religioni operam navavit, quando è ſublimiori cathedrâ detonuit graviſsimâ oratione contra clandeſtina matrimonia, & quinquaginta Epiſcopos; tam diſertè atque accuratè, ut attentis arrectiſque auribus omnes dicentem, deſinentem eum fauſtis acclamationibus exceperint. Et verò hunc tantum virum Eccleſiæ & Belgio mors tandem eripuit.

Quantus verò *vel Atrebates* (inquit Buzelinus) *vel Duacenſes dolor ex ejus obitu invaſerit, memorari ex juſto nequit: cùm utrique ſecum attentiùs reputarent, quantum ab eo ceperant utilitatis, & quanto ad tolerandas fortiter ejus temporis difficultates, quæ magnæ profectò erant, & majorum tamen initia credebantur, deſtituti eſſent ſubſidio.* Defuncto, avunculo ſuo, Ioannes Richardotus, Arteſienſis Conſilii tum Præſes in eccleſiâ cathedrali magnificũ ex marmore & alabaſtrite mauſoleum erexit; in quo ſequens inciſum legitur Epitaphium.

D. O. M. S.

FRANCISCO RICHARDOTO BVRGVNDO ATREBATIVM EPISCOPO
VIRO IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE VERSATISSIMO
ET CONCIONATORI ELOQVENTISSIMO
QVI OB SINGVLAREM DOCTRINAM ET PRÆCLARAS ANIMI DOTES
OMNIBVS ORDINIBVS VNICE CARVS
POSTQVAM HANC ECCLESIAM PERICVLOSIS TEMPORIBVS
INGENI DEXTERITATE ET ASSIDVIS CONCIONIBVS
ANNOS IPSOS TREDECIM FELICITER REXISSET
MAGNO SVI RELICTO DESIDERIO
ANNVM ÆTATIS AGENS LXVII. E VIVIS EXCESSIT
IO. RICHARDOTVS PHILIPPO II. HISP. REGI A RERVM STATVS
SECRETISQVE CONSILIIS AC LIBELLIS ET ARTESIÆ PRÆSES,
AVVNCVLO OPTIMO NEPOS MOESTISSIMVS POSVIT.
OBIIT VII. KAL. AVG. CIↃ. IↃ. LXXIV.

Edita

Edita ab eo hæc sunt;

Oratio, quam habuit in Synodo Cameracensi an. 1565.

De imaginibus. Lovanii an. 1567.

Tractatus de controversiis. Lovanii an. 1568.

Institutio Pastorum. Antverpiæ apud Plantinum, & Lutetiæ apud Nicolaum Chesneau an. 1564.

Oratio, quam habuit in Concilio Tridentino.

Oratio funebris, quam habuit Gandavi in exequiis Henrici II. Galliarum Regis.

Oratio funebris, quam habuit in funere Caroli V. Imperatoris. Antverpiæ apud Plantinum.

Oratio, quam habuit in inauguratione Academiæ Duacensis.

Sex sermones super orationem Dominicam.

Quatuor sermones de Incarnatione Verbi Dei, super Missus est.

Sermones de sanctissimo altaris Sacramento.

Edidit quoq; *Statuta synodalia suæ Diœcesis*, adjectis prædecessorum suorum veteribus statutis.

FERREOLVS LOCRIVS

in catalogo Scriptorum Artesiensium.

FRANCISCVS RICHARDOTVS, insignis Theologus & Orator, ad miraculum usque facundus, ex religioso Augustiniano factus est Episcopus Atrebatensis.

Idem in Chronico Belgico.

FRANCISCVS RICHARDOTVS, ſacræ Theologiæ Doctor, in omni ſcientiarum genere longè verſatiſſimus, atque poſt hominum memoriam eloquentiæ laude, cui par accedebat pietas, celeberrimus: incredibilem ſui admirationem excitavit, non imperitus aut infrequens coram Regibus Principibuſque de quocunque themate ex memoriâ, ſeu Latinè ſive Gallicè pari facundiâ eloqui. Prudentiâ atque auctoritate in ſuâ Diœceſi eâ eſt uſus, ut quanquam diſſidiis inteſtinis Belgica variè tumultuaretur, Atrebates nihilominùs, frequenti concione in fidei Romanæ & Catholicæ profeſſione obſervantiáque, & veri Principis Philippi II. Hiſpaniarum Regis obſequio contineret.

ANTONIVS POSSEVINVS
in Apparatu ſacro.

FRANCISCVS RICHARDOTVS, natione Burgundus, Auguſtiniani Ord. & Epiſcopus Atrebatenſis, Theologus inſignis.

IOAN-

IOANNES PAVLVS GEWIN DE REMICH
S. Theologiæ Doctor in Famâ posthumâ

D. PETRI RICHARDOTI
Abbatis Epternacensis.

Inter RICHARDOTIOS *lucet inprimis, ut Phœbea Lampas & stellas inter Cynosura minores,* FRANCISCVS RICHARDOTVS, *Atrebatium Episcopus, quem sacra Oecumenica Synodus Tridentina, Hæreticorum hyperaspisten, & sacrorum dogmatum vindicem acerrimum, Burgundia & Belgium Phœnicem Advocatorum, ipse orbis terræ tot libris editis & vitâ clarissimum novit. Illi Duacum eruditionem & suam merito jure Universitatem acceptam refert: pro quâ fundandâ, coram Philippo II. Rege Catholico, oravit sæpiùs, ac conspirante Granvellano Cardinale, tandem exoravit. Vt tot inter viros Illustres solum hunc cognomento* MAGNI, *etiammum indigitent. Illi Atrebatum debet pietatem & avitam religionem, quòd depopulante confinia circum loca Calvino, hujus lenociniis non sit devirginatum. Illi orbis Christianus contra clandestina matrimonia Tridenti purpuratos inter Patres adversùs quinquaginta Episcopos declamanti applausit;* ÆTERNA PALMA, *quam scuto suo gentilitio præferebat, dignissimus.*

AVGVSTINVS FIVIZANVS Ord. Erem. S.
Aug. Theologus, Xenodochij S. Spi. præceptor, Apostol.
Capellæ Sacrista, Pontificum Max. Grego. xiii. et Clem.
viii. Confessarius, Sui Ord. tertium General. obijt
iii. Kal. feb. Añ M.D.XCV.

AVGVSTINVS FIVIZANVS,

SACRARII APOSTOLICI PRÆFECTVS ET XENODOCHII S. SPIRITVS IN SAXIA PRÆCEPTOR.

EX Molariorum nobili ſtirpe oriundus AVGVSTINVS in nobiliorem familiam Eremitarum, quos Afer, Magnus ille Eccleſię Doctor inſtituit, ſtatim à prætextâ tranſiit, & cucullum priùs, quàm togam virilem aſſumpſit. Religionis prima tirocinia Piſis poſuit; Fiuizani verò in natali urbe votis ſe monaſticis Deo obſtrinxit. Hîc obſequendi ſtudio, ſui contemptu, ſed præcipuè in Deum pietate mirandus, oſtendit nullum ſibi eſſe ampliùs cum humanis commercium: ut jam tum præſagirent omnes boni, magnam in adoleſcente latêre ſanctitatem, quæ in ætate robuſtiori pulchrè ſe aliquando proderet. Ad pietatis exercitia, litterarum

terarum etiam adjunxit: in quibus nihil quæsivit præter Religionis honorem, & Dei gloriam; unicum sibi scopum Cælum objiciens, in quem oculo semper-vigilanti collimaret. Et verò qui virtutum adyta penetraverat, facilè per ea & sine ullis ambagibus rectà ad supremum scientiarum apicem ascendit. Laureâ jam Magistrali, sed magè vitæ integritate venerandum Reverendissimus Pater Generalis familiæ Romanæ inferere voluit; ut è loco sublimiori clariùs longiusque sese virtutum ejus radii diffunderent. Emicuerunt autem multò maximè, quando summum Ordinis sui gubernaculum tenuit auctoritate Apostolicâ; quâ eâdem & Comitiorum Generalium æstum Præsidens temperavit. In summis hisce honoribus nemo AVGVSTINO modestior, nulli digniores hâc dignitate mores. Ille nunquam lecto uti; stramento tantum modò, pudicitiæ tuto thalamo, indormire: ille cilicio carnem affligere utplurimùm; cùm deponeret, non nisi laneam subuculam assumere: ille ad mensam obvios dumtaxat & parvo ære parabiles cibos, interdum nihil admittere. Quo factum, ut Pontifices Maximi, eum quoque maximi semper fecerint: Gregorius cum primis XIII. qui eum Sacrario Apostolico, & suæ conscientiæ in secre-

to

to tribunali præfecit. Secuti alii: à quibus oblatam non ſemel infulam præfractè ſemper à ſuis rejecit humeris. Xenodochii, quod titulo S. Spiritûs in Saxiâ celebre in Vrbe maximumque eſt, Præceptorem à Clemente VIII. ſe nominari paſſus eſt, pauperum potiùs, quàm ſui causâ. Porrò ejuſce curam tam ſanctè geſsit, ut defunctum Summus Pontifex in ejuſdem Xenodochii eccleſiâ condi voluerit, epitaphio Silvius S.R.E. Cardinalis Sabellus, & Ludovicus de Torres Achiepiſcopus Montis-Regalis Romæ, in patriâ verò Lazarus Molarius Nepos honorarint.

Epitaphium quod in Eccleſiâ S. Spiritûs de Saxiâ cernitur, eſt hoc.

D. O. M.
FR. AVGVSTINO MOLARIO FIVIZANENSI,
ORDINIS SANCTI AVGVSTINI THEOLOGO,
GREGORII XIII. ET CLEMENTIS IIX.
CONFESSORI,
APOSTOLICÆ CAPELLÆ SACRISTÆ,
SVI ORDINIS TERTIVM VICARIO
GENERALI,
ET CAPIT. GENERALI BIS PRÆSIDENTI,
HVIVS HOSPITALIS PRÆCEPTORI,
VIRO PIO, HVMILI, OMNIBVS CARO,
ET OB CHRISTI PAVPERES
SEMPER EGENO.
VIXIT ANNOS LXIIX. MENSES III. DIES XVIII.
OBIIT III. KAL. FEBR.
ANNO M.D.XCV.

SILVIVS S.R.E. PRESB. CARD. SABELLVS
PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS
ET
LVDOVICVS DE TORRES
ARCHIEPISCOPVS MONTIS REGALIS,
AMICO OPTIMO
PP.

In patriâ verò habet monimentum, quod sequitur.

D. O. M.

FR. AVGVSTINO MOLARIO FIVIZANENSI ORD
S. AVGVSTINI THEOLOGO, GREGORII XIII. ET
CLEMENTIS VIII. CONFESSARIO, APOSTOLICI SACRARI
PRÆFECTO, SVI ORDINIS APOSTOLICA
AVCTORITATE TERTIVM VICARIO GENERALI, ET
CAPITVLO GENERALI ITERVM PRÆSIDENTI,
HOSPITALIS S. SPIRITVS IN SAXIA PRÆCEPTORI
QVEM, DVM IMMENSA PROBITAS, EXIMIA VIRTVS,
PROBATISSIMIQ. MORES, LABORESQVE PRO DEI ECCLESIA
EXANTLATI, VBERIORES FRVCTVS PARARENT,
IMPORTVNA MORS RAPIT
ANNO ÆTATIS LXVIII. MENS. III. DIE XVIII. III. KAL. FEBR
ANNO M. D. XCV.

LAZA-

LAZARVS MOLARIVS NEPOS, FIVIZANENS. CIVISQVE ROM.
VRBANI VII. ET CLEMENTIS VIII.
CVBICVLARIVS,
VT TANTI VIRI MEMORIA IN PATRIA, ET IN HOC
SACRO TEMPLO, QVOD IMAGINE S. AVGVSTINI
AD ALTARE DEPICTA, ORNAVIT,
SACERDOTALIBVS INDVMENTIS, SANCTORVMQVE
RELIQVIIS DITAVIT
PERPETVO EXTARET, PONENDVM CVRAVIT.

Quamvis autem multarum rerum gerendarum curis maximo opere distraheretur, rei tamen litterariæ negotia non neglexit. Scripsit, evulgavitque

De ritu sanctissimæ Crucis Romano Pontifici præferendæ Commentarium. Romæ ex typographiâ Vaticanâ 1592.

Vitam S.P. Augustini, cùm adhuc infidelis esset, ex verbis ipsius in libris Confessionum. Romæ 1617.

De Translatione S.P. Augustini ex Sardiniâ Papiam.

De Translatione Corporis S. Monicæ ex Ostiâ Romam.

Iordani de Saxonia librum, Vitas Fratrum, Marii Antonii Massæ Notis illustratum, & Summam Augustini Triumphi de potestate Ecclesiasticâ, Romæ elegantissimis typis divulgavit.

ADAMAS FLORENTINVS Ord. Erem. S. Aug, peregrinarum linguarum peritißimus, in Con. Trid. pro Cantonibus Helueticis Orator. A ſummo Pontif. Grego. xiij Romam euocatus, e vita ibidem euocatur xvi Kal. Feb. Añ CIↃ IↃ Ixxxi.

ADAMAS FLORENTINVS.

Emmarum principem hîc ADAMANTEM damus, quem in agro Florentino inventum, ad nitorem polierunt, & inter cimelia ſua Auguſtiniani repoſuerũt. Adoleſcens monaſticis ſacris initiatus, politioris litteraturæ primùm, deinde linguarum peregrinarum ſtudio vehementer exardeſcere cœpit: quas memoriæ, quam ad miraculum vaſtam habebat, beneficio, ita citò tenaciterque perdidicit, ut Latinâ, Graiâ, & Hebræâ non minùs promptè quàm vernaculâ uteretur. Cùm utrique poſteà philoſophiæ annos aliquot pertinaciter & pectore prorſus adamantino incubuiſſet, raram mathematicarum artium cognitionem adeptus eſt. Tridentino in conventu aſsidentium Patrum non tantùm numerum auxit, ſed pro Pagis, ſeu Cantonibus Helveticis, qui Fidei antiquæ & Catholicæ adhæſerunt, Orator, dixit acriter & luculenter. Tandem Romam à Pontifice Maximo Gregorio XIII. evocatus, Thalmud Hebræorum, eiuſque

que gloſſas, adnotationes, atque interpretationes omnes ad limam revocare atque emendare jubetur. Quibus cùm illuſtrem à ſe ſplendorem communicare ADAMAS nititur, ipſe ſuum perdidit, fatali violentiâ XVI. Kalend. Februarii, anno CIↃ. IↃ. LXXXI. extinctus. Porrò gemmam hanc terrâ ſepultam, non niſi die decretorio ad nitorem ſuum nunquam poſtillà corruptibilem revocandam ſervat ædes S. Auguſtini Romæ. Eruditionem verò & linguæ Hebraicæ peritiam hæreditavit P. Ioannes Baptiſta Eugubinus, Paulli Aretii Cardinalis & Archiepiſcopi Neapolitani præceptor & Theologus.

LVDO

LVDOVICVS DE MONTOYA Ord. Erem. S. AVGVSTINI, viuum pietatis, Modestiæ, et virtutis Simulacrum, Conscientiæ Regis Sebastiani Præfectus. obyt miraculis clarus.

LVDOVICVS DE MONTOYA.

QVI LVDOVICI verisimam effigiem videt, quid videt nisi modestiæ imaginem, virtutis simulacrum, & verum exemplar sanctitatis? An non oris hoc lineamentum meram pietatem spirat, excitatque intuentium animos? Hanc in prætextâ altè imbiberat; quam deinde in togâ & toto vitæ curriculo non amisit. Mores etiam, quos cum monastico cucullo religiosos induit, composuit ad amussim & regulam S. Augustini tam exactè, ut verecundiæ ubique & sanctę honestatis radios emitteret. Neque satis illi videbatur, animum sic imbuisse, nisi & ingenium doctrinâ excoleret; quod deinde ad pietatis tantùm legem exerceret. Clament alii, & rixentur in scholis, subtiliqúe speculatione in cælum disputando sese erigant; LVDOVICVS noster Cœlum sibi in animo fabricat, ibiqúe dulce cum Deo soliloquium instituit. Cor illi sua schola est, ubi Magistrum

Chriſtum habet; quem docentem intùs audire, de ambiguis interrogare, quærenti reſpondere, pro ſummo bono habet. Bene ergò eum, qui Præceptore tam docto uſus fuerat, judicavit Pontifex Maximus aptum jam alios docere, & Ordinis ſui cœnobia viſitare in Luſitaniâ, quæ à primævo religioſæ vitæ tramite deviantia ad rectam viam exemplo ſuo reduceret, atque Apoſtolicâ auctoritate reformaret. Et quid tanti viri auſpicio non ſuccederet? ubi ſeverus anteſignanus religionis ſanctæ vexillum præfert, quis non ſequi non erubeſcat? Certè multis logis opus non eſt, ubi opera loquuntur. Valuit præterillà tamen eâ oris facundiâ, ut laici paſsim omnes virtutis documenta ab eo gauderent accipere: ipſe etiam Rex Sebaſtianus tam ſanctum virum conſcientiæ ſuæ præfectum eſſe, & ad vitam Chriſtianam ductorem doctoremque habere vellet. Vitam ejus, & quæ à morte ad tumulum miranda deinde contigerunt, uno volumine complexus eſt P. Thomas à Ieſu: nos id tamen nondum oculis uſurpavimus.

Scripſit

Vitam Chriſti, in quatuor partes diſtributam. poſtremam, quam imperfectam reliquerat, feliciter

ter complevit ſupranominatus P. Thomas à Ieſu.

Tractatum de paſsione Chriſti, diviſum in VII. *diſcurſus, pro* VII. *horis Canonicis.* Qui liber inter opera B. Franciſci de Borgia Societ. IESV, alibi, ſuppreſſo auctoris nomine, divulgatus eſt.

ALEXIVS MENESIVS Ord. Ere. S. Aug alter a D
Thoma Indiæ Orientalis Apoſt? et Primas Luſitaniæ
pro-Rex, Goæ Archiepiscop?, dum regis Luſitani conciliũ
preſidis titulo regit, ad beatorũ conciliũ migrat

ALEXIVS MENESIVS,

INDIARVM APOSTOLVS,

ET LVSITANIÆ PRO-REX.

MAgnum ALEXIVM hîc vides. talis erat, cùm viridi adhuc in ævo magnis virtutibus grandiori ętati prę-luderet: in quâ deinde non modò Pontificis egregiam perſonam geſſit, ſed expreſsit etiam perfectum Apoſtolum. Is ex nobiliſsimâ apud Luſitanos familiâ in Auguſtinianam tranſcriptus, virtutibus magis quàm ſanguine inclareſcere, Chriſti potiùs quàm MENESIORVM nomen illuſtrare voluit. Sed ad virtutis agonem currendum, anguſtus illi nimiùm circus Luſitania erat: in alterum orbem excurrere debuit ALEXIVS, quem apoſtolico exercitio obiret. Goanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, & toti Orientali Indiæ Primas à Rege Philippo datus; deinde à Clemente VIII. Pontifice juſſus eccleſiam Malabaricam Chriſtianorum, quos S. Thomæ

Breve apoſtolicum datum Romæ 27. Febr. an. 1595.

mæ vocant, à multis jam ſæculis Neſtorii blaſphemiis infectam purgare & reſtituere, difficilem ſibi & oppidò periculoſam, ſed Regibus Hiſpaniarum & Romanæ Eccleſiæ utilem inprimis & glorioſam operam navavit. Primùm per litteras negotium agi cœptum: ſubdelegati viri poſteà, qui id exefficerent. Sed illæ ludibrio habitæ; his verò nulla erat apud ſchiſmaticos presbyteros auctoritas. Iterum, iterumque idem ſed fruſtrà tentare Archiepiſcopus. Tandem ille ipſus proficiſci ad eos ſtatuit, & orthodoxæ doctrinæ præconium verbis ſuis facere, oveſque tam diu errantes ad caulam Romanam revocare. Sed ne Goanos limites egrederetur, interceſſere cum clero optimates, & Pro-Rex ipſe. Creditum, à malo Genio inſtinctum eum fuiſſe; qui & bellum atrox ſuſcitavit inter Reges duos Malabaricos, *Mangate* & *Paru*, per quorum ditiones iter ad Thomiſtas erat. Præfectus denique Cocinenſis, *Antonius de Noroña*, ſcripſit, nihil eo tempore tentandum eò loci, ubi inveterata obſtinatorum hominum ſchiſmata exſcindi nullâ vi poſſent. Malè ergò ominatum iter dilatum: ſed quod anno partæ ſalutis ∞. IↃ. XCVIII. tantò maximè iterum arripere perſtitit, paratis omnibus, quæ præter viaticum neceſſaria videbantur. Sed ecce

Pro-

Pro-Rex iterum, optimateſque & cum cœnobiarchis totus clerus Metropolitanus, objicere plurima, quæ occurrere nata erant pericula; obteſtari Præſulem per omnia ſacra, & Regni Indici ſalutem, ne vitam ſuam in tam certum & præſens diſcrimen daret. Ille verò, animo verè heroico; Fruſtrà eſtis, inquit, qui terriculamento me iſto pavefacere conamini. Tametſi enim nihil mihi poſsit contingere optatius, quàm pro IESV & ovibus meis vitam ponere; ſcio tamen, homuncionem me peccatis multis obnoxium, adeoque indignum honore martyrii; qui non ſolet à Deo, niſi in bonos conferri. Hoc igitur vobis exploratum eſto, nullum mihi imminere vitæ periculum; quod, ſi opus eſt, auſim ſuper ſancto Evangelio conceptis verbis jurare. Id verò aſſeruit tantâ cum verborum energiâ, ut omnibus lacrymas excuteret; nemine adhæc potente uno ei verbo obmutire. Die ergo XXVII. Decembris, qui Divo Ioanni Evangeliſtæ ſacer eſt, dicto cum ſuis in æde ſummâ itinerario, ad triremem paratam ſe contulit: cùm ecce denſi pauperum ac viduarum plorantium manipuli occurrunt, viam abiturienti intercludẽtes, nequicquam obſiſtente & turbam arcere laborante ſatellitio. Tum ad unam ceteris altiùs ejulantem MENESIVS: Quid

volunt

volunt iſtæ lacrymæ mulier? Fortean eſt aliquid, in quo opera mea tibi neceſſaria eſt? ediſſere. ſi opus eſt, vel totum annum tuâ causâ ſuſpendam hoc iter. Illa verò; Lacrymas, ô Domine, has extundit abitus tuus: nam ego & tres filiæ meæ quas eleemoſynis tuis ſuſtentabas, nunc planiſſimè deſtituimur. Vade, ait Pontifex, quæ ego factitavi hactenus, Pater deinceps alius curabit, qui tibi aliiſque vicem meam quot menſibus ſolitam ſtipem diſtribuet. Tranquillatis eo modo pauperum animis, navem conſcendit, & ſecundis ventis uſus, appulit Cunhalem portum Malabaricum, ubi jactis feliciter in agro infideli religionis Chriſtianæ ſeminibus, Cocinum trajecit. Hîc negotiorum difficilis cardo verti cœpit. Primum ſe, duriſsimumque obicem Archidiaconus oppoſuit, Archiepiſcopatûs Angamalenſis Vicarius, quicum diuturna maximaque Præſuli noſtro lucta fuit. Hunc in partes ſuas trahere, erat Thomiſtas omnes pro nutu, quò lubitum erat, flectere. In illum admotæ primùm machinæ. Sed ille, ſeu malæ conſcientiæ ſtimulis, ſeu dæmonis œſtro percitus, non tantùm non aures dedit benevolo Præſuli; ut magnis quoque conatibus ſibi ſumpſerit Thomiſtarum primores irritare; qui fœdo inter ſe icte fœdere jurarunt in caput & vitam

vitam Archiepiſcopi, ſi vel levem digitum in Archidiaconum intendiſſet. Monuit quoque Reges infideles, ut Archiepiſcopi cœpta impedirent in ditionibus Malabaricis priùs, quàm jugo Luſitano ſe preſſos aut oppreſſos viderent. Poſitæ ergo MENESIO inſidiæ, vis parata, hora necis dicta: ſed Deo averruncante præſentia pericula, nihil effectum. Sanguini ejus inhiabant uno quaſi ore Chriſtiani, Mauri, Iudæi, omnis denique paganorum ſentina; ut Patres etiam Ieſuitæ cum aliis Catholicis ſuaderent Archiepiſcopo tutum ad urbem Cocinenſem refugium. Sed ille tantò magis in inceptis pergere, & Dei negotium perſequi. Sola ejus oratio erat, quæ Chriſti in horto (quia illi ſe Cocinum abituros profitebantur) *Si me quæritis, ſinite hos abire.* Et ad comites ſuos converſus; Vos, qui pavetis, ite, licet: quò pauciores mihi adhæſerint, minus cordolium mihi erit, ſi nos cum pſeudo-Chriſtianis pagani invaſerint. Et ecce divinæ providentiæ miraculum: eodem die, quo inter Malabarica pericula maximè conflictatur ALEXIVS, Romæ Clemens VIII. pro laboribus Archiepiſcopo benedictionis Apoſtolicæ gratiam impertitur; dato, quod ſequitur, Brevi.

Venerabili Fratri ALEXIO Archiepiſcopo Goæ
in Indiis Orientis,

CLEMENS PAPA OCTAVVS.

VEnerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Multam in Domino voluptatem cepimus ex iis, quæ de tuæ fraternitatis pietate, & paſtorali vigilantiâ, gravi nobis teſtimonio relata ſunt: nominatim, quòd zelo honoris Dei, & ſalutis animarum incenſus, in convertendis gentilibus iſtis ad lucem Evangelicæ veritatis ſtrenuè laboras. Gratulamur tibi, frater, piam hanc ſedulitatem, quâ animas immaculati Agni ſanguine redemptas Deo lucrari ſtudes: id nobis pergratum eſt, idque ut ex noſtris litteris cognoſceres, voluimus, ut tanto ardentiùs opus Dei divinâ adjutrice gratiâ urgeas, & perſequaris. Benedicat Deus piis laboribus tuis, tibique tribuat, ut ex tam magnâ meſſe manipulos inferas in horreum cæleſte, & nos fraternitati tuæ, & clero, ac populo tuo fideli noſtram Apoſtolicam benedictionem benignè impartimur. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, Kalendis Aprilis. M. D. XCIX. *Pontificatûs noſtri anno octavo.*

SILVIVS ANTONIANVS S. R. E. Cardinalis.

Per

Per varios ergò casus, & plurima vitæ discrimina ibat Archiepiscopus, & visitabat omnes Christianorum Malabaricas Ecclesias: nulla tamen erat, in quâ non inveniret obicem tumultuantium. Ille tamen potens opere & sermone perrupit omnia; donec errantes in viam reduceret. Ipse quoque Archidiaconus homo versutissimus, & pro Patriarcha Babylonio obstinatissimus pugil; cùm sacro fulmine percussus, & excluſus à communione fidelium, non inveniret postliminium, coactus est veritati victas manus dare, & collum Romanæ Ecclesiæ submittere. Tum demum Synodi diem indixit, ad quam frequentes ex omnibus regnis Malabaricis Christiani advolarunt, fidemque Catholicam profiteri jussi, in gremium Romanæ Ecclesiæ recepti sunt. Securo inde pede ad visitandas Ecclesias processit. ubi sermonibus ad populum habitis, Romanæ fidei rudimenta tradidit; sacramenta contulit, baptismum multis etiam paganis, quos ad veritatis lucem adduxit: libros Nestorianos aut igni perdidit, aut castigavit. Denique Superis adjuvantibus bellum sanctum, subegit Thomistas omnes, & Romanæ Ecclesiæ subjecit, extructis passim templis veluti fidei & pietatis propugnaculis. Fidem superat, quantum paucis

menſibus in multis regnis ALEXIVS præſtiterit. neque, ſi velim, poſsim uno calamo labores, quibus perfunctus eſt, omnes perſcribere. Multò deinde pòſt, rude & infulâ Braccarenſi donatus à Rege, rediit in Luſitaniam, quam annis duobus vice Regis gubernavit: deinde juſſus Regi adeſſe, regni Luſitani concilium Præſidis titulo rexit: donec ad Beatorum concilium à Deo evocatus, vitam cum morte, & cælum cum terrâ commutavit.

Hic ALEXIVS DE MENEZES ord. Eremit. S. Auguſtini Archiepiſcopus Goæ ac Indiarum orientalium Primas, & regis Hiſpaniarum ibidem aliquamdiu vice functus, cùm animarum ſaluti (quæ in vaſtiſsimis illis tractibus innumeræ pereunt) annos complures incubuerit, legationis munus & ipſemet obivit, aliiſque tam ſui quàm alterius Ordinis religioſis ut obirent auctor fuit; nimirum in Malabar, Saccatora, Bengala, Regionemque Abyſsinorum in Bonbove-quam (quæ Euphrati vicina eſt) atque in Ormutinam inſulam, in quâ, quod memorabile, Regis filius unicus regni Heres, multis nequidquam renitentibus, monachali habitu S. Auguſtini indutus fuit. Quin etiam idem R.^mus ALEXIVS DE MENEZES ad ipſum Perſiæ Regem miſsis Ordinis

nis ſui Fratribus, qui ipſi individui viæque comites, ob ſingularem quo eos proſequitur amorem ſolent adhærere ; in tantum rem Chriſtianam promovit, ut Rex in urbe, quæ regni ſedes eſt, templum monaſteriumq; PP. Auguſtinianis impenſis ſuis exſtrui mandarit : poteſtate inſuper factâ quibuſcumque hominibus Chriſtianam religionem, in quam ipſe vehementer inclinat, amplectendi. Vnde factum ut & quàm plurimi ſacro fonte Baptiſmatis abluti ſint ; ac non pauci luſtrali aquâ conſperſi, beneficium ſanitatis divinitus ſunt adepti. Sciendum etiam Perſarum Regem ad Georgianorum Dynaſtam epiſtolam miſiſſe, quâ ut Romanæ uniatur Eccleſiæ ſeriò monet. Calcar etiam additum fuiſſe Perſarum Regi ab illis quos antè memoravi Patribus, ut contra Turcam arma caperet ; quod & fecit, & victoriam non ſemel ex immani Chriſtiani nominis hoſte reportavit. In quem finem breve Apoſtolicum à Pontifice miſſum fuit nutu Regis Catholici, quo eoſdē Patres Auguſtinianos hortatur ad animarū ſalutem ſtrenuè propagandam. Nec illud prętereundum, Armenos legato Romā miſſo Romano Pontifici obſequium omne pollicitos fuiſſe, pro ut antè in Conventu S. Auguſtini, qui in urbe primariâ Regis Perſię eſt, fecerunt.

IOANNES HAYVS SOC. IESV, libro de rebus Iaponicis.

ARchiepiſcopus Goæ ALEXIVS MENESIVS, *Archiepiſcopatum Angamalenſem viſitare decrevit eo fine, ut ſedem illam ad ſuſcipiendum Prælatum de manu Summi Pontificis paratiorem redderet. At hoſtis humani generis, cùm hoc unum præcipuum his tot incommodis remedium eſſe perſpiceret, variis technis Archiepiſcopo profectionem intercludere conatus eſt, dehortantibus hinc religioſis, illinc ſecularibus, iiſque non infimæ ſortis hominibus. dicebant enim hâc viſitatione non ſolùm honorem, perſonam & vitam Archiepiſcopi, verumetiam Rempub. ipſam in periculum non dubium vocari. Hæc illi tantâ pertinaciâ inculcabant, atque urgebant, ut opt. Prælatus ad me ſcriberet, cælum & terram in ipſum conjuraſſe. Verumtamen omni terriculamento contempto, viſitationem ſingulari conſtantiâ cum providentiâ conjunctâ, præſente divini Numinis auxilio incepit, promovit, perfecit. Archidiaconus poſt multas tergiverſationes & verſutias, ita ut parum abfuerit, quin à communione fidelium ejiceretur, tandem ad cor rediens, ſe ſub Apoſtolicæ Sedis obedientiâ victurum pollicitus eſt. Multa in hâc viſitatione præſtitit Archiepiſcopus, quæ magnum ad animarum ſalutem momentum attuliſſe compertum eſt. Primùm Sacramenta, ut validè conferren-*

ferrentur, effecit: deinde libros Nestorianos, quorum maximus erat numerus, à sexcentis erroribus, & sententiis Catholicæ fidei repugnantibus, expurgandos curavit: quidquid Summi Pontificis supremam auctoritatem impugnabat, deleri fecit. Postremò parochos idoneos, qui nullibi pænè reperiebantur, diligenter conquisitos, Ecclesiis præfecit. Media quæ Archiepiscopum ad hunc finem consequendum maximè juverunt, hæc ferè fuerunt. Ipse per se Ecclesias visitavit, octoginta paræcias instituit, Synodum Diœcesanam indixit, ad quam Ecclesiasticos illius Archiepiscopatûs & nostros Sacerdotes solummodò, juxta antiquam consuetudinem, convocavit, assistente præfecto Cocinensi Antonio Noroña, & primariis civitatis, qui Regis Lusitaniæ nomine horum Christianorum tutelam in se suscepe-runt. Quæ res quanto regiæ Majestati emolumento sit futura, norunt, qui non ignorant, quanti sit momenti, gentem in totâ Indiâ lectissimam, à temporibus B. Thomæ Christiano cultui deditam, tamque numerosam & potentem, ut armatos ad triginta millia in promptu habeat, cum Lusitanis unire, ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam revocare, & in fidem ditionemque Regis Catholici accipere. Magno etiam fuit adjumento, animarum zelus & vitæ exemplum, quo opt. ille Prælatus novem mensium spatio plus (ut nostri affirmant) in animarum salute promovendâ profecit, quàm quotquot à B. Thoma ad hæc usque tempora illam sedem tenuerunt.

Anto-

Antonius Possevinus ejusdem Societatis.

Cùm ALEXIVS MENESIVS *an.* 1599. *in Orientali Indiâ Christianos, qui dicuntur S. Thomæ, unà cum aliis visitasset, Synodumque fidei Catholicæ atque disciplinæ Ecclesiasticæ restituendæ habuisset, factum est, ut blasphemiæ omnes Nestorianorum non solùm interiùs, quàm unquam anteà factum fuisset, innotescerent, verùm etiam plurima eorum volumina sive purgarentur, sive abolerentur.*

ALEXIO MENEZIO
Augustiniano Lusitaniæ Proregi.

PErge Calliope modesta, perge
Vbi Doris Vlyssei superbam
Vrbem finitimâ tuetur undâ:
Huc admissa, MENEZIVM *videbis*
Augustinadûm decus supremum,
Nuper quem Goa terror Amphitrites
Sacris voverat unicum præesse;
Illum quem meritis ubique clarum
Altè sustulit Hesperi Monarcha,
Lusitanica ferre sceptra mandans,
Sciscitabitur, an sui propagent
Se Belgæ, satis atque num patrizent.

Conari

Conari referes: ſed & Parentem
Ipſum, qui teneros prior Quirites
Liberalibus artibus polivit,
Suos naviter inquies referre.
Si de traduce pluribus requiret;
Deduxiſſe colonias fatere:
Atqui Scaldigenis novè receptam
Ampla haud ampliter urbe dic habere.
Ædes ſi roget, ecquid alta ſurgit?
Eſſe ſignificabis embryonem.
Ipſius tamen unius favore
Parvis magna laboribus potentis,
Res Aurelia ſi reſuſcitetur,
Aias illico ſtare poſſe Belgas.

ROGERIVS IVVENIS Ord. Erem. S. Aug. in belgio sæpius
Prouincialis, S.T.D. de quo sic quondam cecinit R.
P. I. Riuius S.I.L. et Erem.
Perpetua dignus IVVENIS fuit iste IVVENTA,
et quem nec Senium nec mala mors raperet.

ROGERIVS
IVVENIS.

Lluſtre hoc Provinciæ Belgicæ & Religionis Auguſtinianæ decus Brugæ extulerunt, oppidum Flandriæ, ingeniis & opibus primum, ac commerciorum famâ toto orbe celeberrimum. Natus eſt anno ∞. CCCC. LXXXII. obſcuro loco; ſed quem ſingulari deinde virtutum omnium ſplendore illuſtravit. Prima ſtudiorum rudimenta in urbe natali poſuit feliciter admodum; ut jam tum divinarent omnes, quantus in IVVENE vir lateret. Ætate mox adultâ Eremitis Auguſtinianis, qui eâ tempeſtate Brugis doctrinæ & ſanctioris vitæ auctoritate florebant, adgregari voluit. Apud quos cùm ſublimioribus domi ſtudiis non inanem operam navaſſet, Lutetiam, ſapientiæ vetuſtiſsimum domicilium, dimiſſus eſt; ubi ſtadium indefeſſo pede abſolvit, mactus laureâ magiſtrali. A pulvere ſcholaſtico ad publicum agonem venit: in cathedrâ verbi divini ad populum declamator egregius, & in mari turbulento,

iniquiſsimis temporibus clavi monaſtici ſtudioſus gubernator. Iam enim perſonante novi Evangelii infami iſto buccinatore Luthero, è ſuperâ Germaniâ titillare molles Belgarum auriculas reformata doctrina occeperat, & ſpecioſo purpuriſſatæ Religionis irritamento vocare captivas quaſi in Romano carcere Catholicorum animas ad pileum Evangelicæ libertatis. Auritum populum faciebant inſoliti præcones; audentem divitiæ. Agyrtarum paradoxa bibebant curioſi quique: imbibebant, & Monachum Pſeudo-evangeliſtam ſequebantur ſtatim illi, quos monachicorũ votorum tædere jam cœperat. Ergo, quà data porta, ruebant ad ſeculum ſeculiſque vitia, qui rerum priùs omnium mortalium ſpem curamque abjecerant. Quid faceret ROGERIVS? quò gravior tempeſtas incubuit, eò fortiùs animoſiuſque clavum tenuit: ut diligentiam ejus admirarentur omnes, prudentiam agnoſcerent. Cùm deinde non unius cymbæ tantùm, quod non omnino grave illi erat, ſed totius claſsis Belgicæ gubernaculum, faventibus Patrum ſuffragiis, ei commiſſum eſſet, non modò opinionem vicit omnium, quæ de virtute ejus erat, ſed etjam gloriam ſuperiorum: ut in Germaniâ inferâ ſui Ordinis (quod dici ſolet) prora & puppis verè fuerit. Ejus ſolertiâ Conventus Harlemenſis,

Enck-

Enckhuſanus, & Colonienſis, à corpore provinciæ Belgicæ avulſi, & monſtro Saxonico, è quo Lutherus nefandum caput extulit, inſerti, ad gremium Religionis ſuæ redierunt. Quare ſupremus Ordinis Antiſtes Hieronymus Seripandus, (quem deinde Pius IV. ſacrâ purpurâ ornatum, Concilio Tridentino Legatum à latere præſidere juſsit) datis anno ∞. IↃ. XLVI. die XXVII. Martii ad ROGERIVM Tridento litteris, *Debemus*, inquit, *tibi magnopere, quòd tuâ induſtriâ & virtute nomen noſtrum in iſtâ orbis terræ regione non fuerit omnino extinctum.* Immò & Franciam debere eidem idem voluit Seripandus. Etenim cœnobii Pariſini Priore Philippo *Hareſche* ad plures profecto, à ſuffragatoribus in eligendo capite turbantibus in partes itum erat. Et jam gliſcebat diſsidium, cujus rumor Patris Generalis in Synodo Tridentinâ laborantis aures verberaverat: qui properè illuc properare jubet ROGERIVM, & vices ibi ſuas interim agere, ac tumultuantium hanc animorum tempeſtatem auctoritate ſedare. Contigit id anno ∞. IↃ. XLVII. quando moleſtiarum tam gravem ac diuturnam molem (Provinciæ præfecturam non interrupto magiſtratu quintùm geſſerat) ROGERIVS excuſsit, impetrato à Patribus quietis aliquo intervallo. Sed illius, cujus poteſtas plus poterat, mandato proficiſci juſſus acce-

pit imperium, & in viam Parisiensem se dedit. Quanti virum Belgam Galli fecerint, non est difficile conjectare; quando illum ipsum sibi Priorem unanimi simul voce nominarunt. Et verò Seripandus Generalis non minus gaudium gavisus est, quàm Imperator olim Valentinianus, cui oppidò gratum erat, delectos à se Iudices ad sacerdotium postulari. Sed non fuit ea solida, aut diuturna Parisiensibus lætitia. Vix enim totum illis annum præfuerat, cùm in Comitiis Dordraci, Hollandiæ primario oppido, celebratis, Belgæ Patrem suum reposcunt, & provinciæ suæ præfectum eunt. Diceres Pentheum aliquem ROGERIVM, quem nimio amoris obsequio pænè fratres discerperent. At verò Seripandum humilibus litteris adit IVVENIS, jam non juvenis, & excusat annis gravem fractamque continuis laboribus ætatem, & novum onus deprecatur. Ille verò pugilem hunc veteranum arma resumere, & certamen diu exercitum certare ex novo jubet, blando hoc scripto. *Vtinam* ROGERI *pater, nostra nobis non repugnaret conscientia, libentissimè humillimæ ac piissimæ tuæ petitioni de provinciæ curâ alteri demandâ annuerèmus. Sed nos, qui sumus, qui Spiritui sancto resistamus? imò qui Spiritum sanctum contristare non vereamur? Quæ autem electio unquam clariora habuit præsentiæ Spiritûs argumenta, quàm hæc? Aberas ipse à provinciâ,*

vinciâ, honeſtiſſimis Ordinis tui negotiis occupatus. Vnum te omnes certatim viâ ſcrutinii, ſecretâ illâ quidem & liberâ exoptant, &c. Quid plura? Si munus hoc ipſe detrectares: ſi nos voluntati tuæ morem in eâ re gereremus, adversùs divinam voluntatem pugnare velle videremur. Igitur te in officio ad ſequens triennium confirmamus: hæc enim fuit voluntas Dei, cui omnes pareamus, par eſt. Satis verborum hîc erat, ut rogare porrò deſineret ROGERIVS. Iterum ergò ad clavum provinciæ ſe applicuit, ſeditque, donec Chriſtophorus Patavinus, qui Seripando in ſacrum ſenatum adlecto ſucceſſerat, decrepitum jam IVVENEM rude donavit, ab omni in poſterum munere conceſsâ vacatione. Verùm enim, dum inter ſancta religioſæ mentis otia divinis cogitationibus optatos ſibi dudum dies conſecrat, ecce inopinatè novos aliunde fluctus ſurgere videt. Angliæ Regina Maria, ROGERIVM noſtrum, doctrinâ & rerum uſu abſolutum virum, Tridentum ablegat, qui cum Doctoribus Lovanienſibus inter Patres ſedeat. Quod ille non gravatè feciſſe dicitur, ut Pro-Epiſcopi honorem, quem Nerviorum Antiſtes & Regina illi deſtinabant, hâc peregrinatione effugeret. Ita vir ille minimè ambitioſus, & iſtam, & alias infulas, quas illi plures aula obtulit, obſtinato ſemper animo repudiavit. Sed ad regimen fato natus videbatur. Enimverò à Triden-

dentinâ Synodo reverſus,anno ∞. IↃ. LV.Comitiis præſidere,& ∞. IↃ. LX. toti iterum provinciæ vice-Generalis præeſſe juſſus eſt. Porrò tot muneribus moleſtiiſque exercitum, turbatum hæreſi Belgium magis concuſsit. Fidei orthodoxæ, & cum fide Deo, denique Regi ſuo nuncium totæ ſimul urbes remittebant. Pellebantur in exilium & exitium ipſum monachi; reſiſtere auſi trudebantur in ergaſtula, in mortem tradebantur.Conſilio locus non erat,plebe furente.Brugæ quoque ipſæ jam nutabant. Magiſtratus conſilii inopioſus, Optimates quò ſe verterent ignorabant.IVVENIS illis vir unus viſus, à cujus prudentiâ in his procellis portum quærerent. Ille autem domi ſedebat ætate decrepitus,orbus luminibus, quæ ſenectus illi exſucca extinxerat, & vivendo feſſus in hoc præſertim acerbo patriæ caſu, ad ultimam metam, alteramque patriam ſuſpirabat. Venit ergò ad illum magiſtratus flexo poplite, apertoque & cernuo capite, atque à cæco, parum videns nubilo hoc tempore, quod patriæ decorum erat, coactus eſt providere. Sed cùm ſana, quæ dictabat, conſilia non haberent diu locum, præpotente improborum perfidiâ, tandem ipſe quoque magiſtratus cum plebe tranſiit ad caſtra perduellium. Pulſus ergò religioſorum cœtus, & cum reliquis ipſi etiam Auguſtiniani. Cùm verò annis

annis & cœcitate obsitus ROGERIVS, viam invenire non posset, ad monacharũ cœnobium, quas nigras sorores vocant, lecticâ se ferri passus est. Vbi sequenti pòst anno exspiravit, patriæ magis calamitate, quàm annorum numero, quos nonaginta & septem vixerat, oppressus. Iacet in prædicto monasterio propter aram summam. etenim fratres omnes urbe exacti erant, ipsum quoque cum templo cœnobium iconoclastarũ impiis manibus destructum atque profanatum. Sarcophagus ejus effigiem præfert in æneâ laminâ: in limbis verò hanc epigraphen:

FRATER ROGERIVS IVVENIS DOCTOR THEOLOGVS PARISINVS: PRIOR, OLIM PROVINCIALIS COLONIÆ ET HVIVS DOMVS, DVM VIVENDI FINEM FECIT, HVIC SVBSTERNITVR SARCOPHAGO.

In libro, quem manu gestat, leguntur hæc verba: *Delicta* IVVENTVTIS *meæ nunc ne memineris: sed renovetur ut Aquilæ* IVVENTVS *mea.* Psal. 102.

R.P. Ioannes Rivius Provinciæ nostræ Visitator, qui mihi ad Belgarum elogia materiam potissimam subministravit, de IVVENE ita cecinit.

Perpetuâ dignus IVVENIS *fuit iste* IVVENTA,
Et quem nec senium, nec mala mors raperet.

FRANCISCVS A CASTROVERDE ord. Erem. S. Augustini Ecclesiastæ primarij munus in regiâ Madrit. exercuit, in morum licentiam grauiter inuectus. Cum mortuum anno 1610. Rex Philippus hoc elogio decorauit,
muriò el Predicador del Rey, y el Rey de los predicadores.

FRANCISCVS
A CASTRO-VERDE.

ILLE est FRANCISCVS, Hispaniæ Chrysostomus, si aureum eloquentiæ flumen; Augustinus, si profundam ejus doctrinam; Ambrosius, si virilem in dicendo parrhesiam spectes. Ad regiam Madritensem accitus, ut Ecclesiastæ primarii munus amplissimum exerceret, non ignarus, quàm plenum aleæ opus esset, veritatem in aulâ profiteri, cum Agathone inquit,

Εἰ μὲν φέρσω τἀληθές, οὐχί σ' εὐφρανῶ·
Εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τἀληθὲς φέρσω.
Si vera dicam, gaudio tibi non ero:
Si gaudio sum, vera non dicam tibi.

Quia tamen judicavit cum Menandro

Ἐλεύθερος γὰρ ἀνδρὸς τἀληθῆ λέγειν.
Liberi viri esse veritatem loqui;

non timuit detonare graviter, & fulminare pro veritate in vitiorum monstra, quæ in aulam hîc irrepentia, illic irrumpentia digito quasi suo monstravit. Sed expertus est veritati non esse locum apud aulicos: jussus ergo est silere præco

noſter, & aulâ exire. Ille verò multò æquiori animo exilium, quàm aulæ vitia tulit, contentus æternùm ſilere potiùs, quàm loqui placentia. Non multò deinde pòſt revocatus ad Eccleſiaſtæ munus,

Horat. 3. Carm. 24.

(*Virtutem incolumem odimus,*
Sublatam ex oculis quærimus)

non deſiit ideò vocalis eſſe, aut facundus declamator in vitia, quando ad ea fœcundi eſſe homines pergebant. Clariorem ergò ſe facere potuit, non cariorem: ſolum enim

Terentius in Andria.

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Iactatus itaque diu ob veritatis ſtudium variis maris aulici fluctibus, tandem pervenit ad æternitatis portum, anno M. DC. X. Tunc demum Philippus Rex magnifico elogio magnum virum dignatus, ad circumſtantes Principes lacrimans dixiſſe fertur: *Muriò el Predicador del Rey, y el Rey de los Predicadores.* Mortuus eſt Concionator Regis, & Rex Concionatorum.

COR-

CORNELIVS DE BYE Ord. Ere. S. Aug. in Belgio Vicarius Generalis, S.T.D. Indis et Americis Euangelium promulgauit; Hispaniæ et Italiæ Incolas docuit. non sine opinione Sanctitatis discessit VIII Kal. Aug. Añō ∞.IↃC.XIV.

CORNELIVS DE BYE.

NAtus anno CIↃ. IↃ. XL. VIII. Idus Novembris, Hagæ Batavorum, familiâ nobili, ad fortunæ bona optimum ingenium attulit, & linguam variis idiomatibus capeſſendis verſatilem. A primâ ſtatim adoleſcentiâ, mortalia abdicare, Deoque auctoratus æternùm mancipari voluit: ſed, ut conſilium ejus turbarent, interceſſêre parentes, magna etiamnum filiis ad pietatem remora, qui ætatem illam quaſi nondum cælo maturam, trans mare peregrinatum in Hiſpaniam extruſerunt. Verùm

Οὔποτε τὰν Διὸς ἁρμονίαν θνατῶν παρεξίασι βουλαί.

Dei ſtatutum non prætergrediuntur humana conſilia.

Æſchylus in Prometheo vincto.

Sub iſto enim ſole calentiori, CORNELIVS majores ad Dei amorem ignes concepit, ut, quod domi ſemel cum flamine ſancto conceperat, hîc in promptu haberet, & parentibus inconſultis effectum redderet. Granatæ ergo XII. Kalendas Majas, anno ∞. IↃ. LIX. monaſticen apud Eremitas Auguſtinianos amplexatus eſt: ubi religionis ſolidum fundamentum pietatem, quam à teneris

ungui-

unguiculis cum nutricis lacte altè imbiberat, nixu ſingulari colere inſtitit : ad quam reliquarum virtutum, deinde ſacrarum etiam litterarum ſtudium adjecit.

Sub annum ∞. IↃ. LXI. Didacus de Salamanca ex occidente Indiâ Madritum appulerat, ut ad meſſem Evangelicam , cujus apud Antipodas plurima maximaque ſpes affulgebat, operariorum inſignem aliquam manum cogeret. Oportunè autē & non ſine Numine reperit illic CORNELIVM ; quem ubi audivit à Cardinale Granvellano commendari ob ſanctam vitæ & morum innocentiam , ipſe quoque vidit multas in eo lucere ſcintillas haudquaquam novæ ſed notæ & antiquę probitatis,judicavit virum maximè idoneum , qui ad ſacram hanc agriculturam mitteretur. Facile erat perſuadere id homini ſuopte ductu ad Apoſtolicum agonem currenti. Anno igitur CIↃ. IↃ. LXIII. peregrinationem in alterum mundum ſuſcipit , & ſecundo vento ac mari non difficili uſus tandem Mexicum appellit. Quia autem intelligebat,ſi Eccleſiæ obſequium probare, & ad ſalutem gentium dignam ſe operam præſtare impenſiùs vellet , vernacula earum regionum idiomata ſibi perdiſcenda eſſe , aggreditur prima linguæ Ottomiticæ (quæ inter omnes ibi habetur

habetur & eſt difficillima) rudimenta condiſcere: quam, & alias, tam nullo labore percepit, ut non modò loqui ſtatim expeditè, ſed copiosè etjam ad barbaros è pulpito dicere, imò & libros dictare accuratè poſſet. Fidei locupletes teſtes ſunt ipſi codices ab eodē ſcripti, & prælo in lucem publicam editi, quibus ceu pædagogis utuntur clerici paſsim, ad Chriſtum ibi cum fructu prædicandum. Illo tam facilis ingenii ſui ſpecimine placuit inprimis Petro de Moya, Eccleſiæ Mexicanæ Archipræſuli, & Martino Henriquez, Regis tum Catholici vicem ſummâ cum poteſtate curanti: qui operam ejus ad res magnas maximè conducibilem non ſemel fuiſſe, liquidò experti ſunt. Miſſus ab illis, abiit in vaſtam eam Provinciam, quam indigenæ Chapulvacar, & Taman indigetant, ad populum barbarum, & non minùs bellicâ fortitudine ſtrenuum, quàm animi crudelitate infamem; qui abjecto pridem Chriſto, quem ſemel induerant, planiſsimè jam nudi, & incertis ſedibus vagi, vivebant ex rapto & cædibus, ferarum in modum, ipſi tantùm non veræ ferę. Diceres CORNELIVM ad beſtias damnatum, cum quibus ei pro vitâ luctandum eſſet. Sed novus ille Hercules facilè monſtra hæc domuit, & beluinos homines cicuravit, atque ſub jugum

Chriſti reduxit. Quâ clavâ? inquies. Vnâ ſuâ humanitate omnem prorſus immanitatem eorum ſuperavit. Dum enim morum quâdam lenitate facilem ſe illis quaſi ſubmittit, ſenſim irrepſit in barbarorum animos, & expugnato corde ſine vi aliâ totos eos triumphavit. Protraxit ergò eos in publicum è ſilvarum latebris, & turmatim collectos in viginti & quinque vicos diſtribuit, ubi ſimul habitarent, imperium acciperent, atque obſervarent: quibus deinde victum, & ea, quę humana neceſsitas exigit, naviter procuravit. Ipſos etiam Chichemecas, homines vix-homines, intractabiles hactenus atq; indomitos manſuefecit, injectis humanę ſocietatis mollibus vinculis: ut & ipſi caſas ſimiliter ædificare, hortos colere, altilia educare ab eo edocti, politicas quoque leges ab illo dictatore recipere, ædes & pedes figere, ac ſtabilem deinceps vitam vivere occeperint. Quibus eos modis ita ſibi obſtrinxit, ut nemo unus eſſet, qui monaſteria, quæ per centum leucarum vaſta ſpatia diſperſa aliquot excitaverat, turbare auderet, aut ei, ejúſve fratribus incommodare. immo ut jam planè humanos homines ſe oſtenderent, ſuo Legiſlatori CORNELIO pretioſa & rara illic munera certatim oblatum irent. Poſtquàm horrentia iſta arva tenui

nui hoc vomere mollita ad culturam ſatis ſubegiſſet, ſemen Evangelicum ſpargere inſtitit colonus noſter; quod Cælo adſpirante, læto ſtatim proventu uberrimè ſuccrevit, & Eccleſiæ horrea implevit optatiſsimâ meſſe. Et quomodo ſpem fallat ſeges tot ſudoribus irrigata, tot curis tam curiosè curata? Vbi CORNELIVS agricolatur aſsiduus, quis ſterilitatem vel in littore timeat? Non ſatis illi erat, quot-diebus fidei Chriſtianæ elementa ſemel unâ pro concione tradere, iterum, iterumque, & iterum, pluribus in locis idem factitabat. Parùm, ſacrificium incruentum unum, uno in vico offerre, repetebat idem altero, tertioque in loco die eodem. Et quantam, putas, aliquando meſſem ſuâ unius manu, uno die colonus hic collegit? Non credes; fidem tamẽ tibi certam faciam: ſæpe uno die unus ſolus ipſe, homines amplius bis mille ſacrâ lymphâ ad ſalutem abluit. Nempe undatim ad eum confluebant,

Immiſti ſenibus pueri, nuptisque puellæ:

ut nonnunquam in ejus concione ſupra ſexaginta auditorum millia numerata ſint. Viri edentuli & capulares, alterum vitæ ſæculum jam ingreſsi, obſtetricante ejus manu renaſci ad novam vitam anhelabant. Plures longè diſsiti, ab extremo Indiarum angulo ſuppliciter CORNELII auxilium

implorabant. Omnem enim novum iſtum orbem ſanctitatis ejus rumor penetraverat, ſuiſque venerationem tantam in barbarorum animis excitaverat, ut eum quaſi cælo delapſum, & ſervatorem ſibi à Deo miſſum crederent. Ille autem nullius operæ parcus, neque contraxit, neque demiſit animum, neque obrui negotiorum magnitudine potuit: ſæpe pedes, ſæpe eques; nonnunquam in altiſsimas rupes enitendo, crebrò antra ſubeundo, frequenter magna flumina natatu tranſmittendo,

—(*in mediis virtus non mergitur undis*)

noctu diu ubique fidei lumen ingerebat. Quæ ille non magis in labore numerabat, quàm nos dormire aut cibum capere. Inter miranda referri poteſt, quòd idola confringere, fana evertere auſus, plurima ubique vitæ diſcrimina adiverit, nullum ſubiverit; truculentorum potiùs hominum animos inſolenter & vi quâdam occultâ perculerit, compulerit ad ædificandas Chriſto eccleſias libentem promptamque manum commodare. Re autem verâ miraculum fuit, quòd feræ, quæ paſsim in locis ſolis oppidò multæ occurrebant, feritatis ſuæ omnino oblitæ, nunquam dente nocivo in eum incurrerint, adeoque oſtenderint pietate etiam ſilvas domari. Tam ſedulò,

mul-

multumque, & ſupra naturæ vires laboranti, ne aliquando ſuccumberet, ſuaſerant medici, lineo veſtitu uteretur, qui longa itinera in ardenti ſole currentem non prægravaret: ille verò, qui non ignoraret Dei opus ſe, non ſuum operari, non modò dato non acquievit conſilio, ſed præter extimam, etiam pro intimâ tunicâ, rude aſperumque ſagum, fricandis equis aptiſsimum, ad nudam carnem adhibuit: ut nemo non putarit, divinis eum niti ſuppetiis, qui tot laboribus affecto, & bene caſtigato corpore, alacrior ſemper & ſeipſo fortior appareret. Poſtquàm ergo viginti & duobus annis Apoſtoli vitam & munus gloriosè exercuiſſet, tranſcriptis ad Chriſtum, & in Eccleſiæ gremium adductis ampliùs quàm centum & ſexaginta animarum millibus, diuturnæ pertæſus à patriâ abſentiæ, quam Regi & Religioni orthodoxæ reſtitutam rumor ibi vulgaverat, ſtatuit è complexu filiorum ſuorum abire, & Belgio ſe poſtliminiò jam ſenem reddere, unde pridem adoleſcens admodum exierat. Quod immanè quantum omnium animos perturbavit. Non enim ferebant indigenæ diſtrahi à ſe ſalutis ſuæ auctorem, à cujus conſilio, gratiâ, ſtudio pendere hactenus & vivere aſſueverant: querebantur orbari ſe patre, tam dulci & pio patre,

cujus lacte ſuaviter educati, cibo etiam ſolidiori confirmari avebant. Nihil hoc genus querimoniæ, nihil Indorum preces potuêre. Accedebat Superiorum auctoritas, qui pro imperio comperendinare itineris diem, deſiderium verò ex animo ejus evellere nunquam potuerunt. Objiciebant Chriſtianæ Religionis jacturam, & periculum in quo neophytos relinqueret; fruſtra tam diu ab eo laboratum eſſe, quando eo abſente, cujus blandum frenum non inviti patiebantur, promptum eſſet Barbaris redire in naturam, & unde vixdum educti eſſent, in tenebras mox iterum profundiùs præcipitari. Sed,

(*Neſcio, quâ natale ſolum dulcedine cunctos*
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.)

CORNELIVM vicit amor patriæ, ut obſtinato, quo flagrabat deſiderio, miſsionem impetraret. Creditum eſt à pleriſque omnibus, ſtuduiſſe id malum dæmonem, ut, pro ſuo in Chriſtum & Chriſtianos odio, Apoſtolum ſtatione pelleret, quò deinde ſatam natamque ejus cultu frugem faciliori pede obtereret. Porrò obfirmanti, quod decreverat, iter perſequi mœſti occurrunt Indi, & dolorem ſuum lacrymis potiùs quàm verbis conteſtati, propitium navigationis curriculum anxiâ, ut fit, curâ comprecantur, oblatis pro viatico

tico pretiosis donariis. at ille, qui prædam hominum egerat, tantumque animarum thesaurum in Ecclesiæ gazophylacium intulerat, splendida ista munera spectavit oculo planè casto atque irretorto. Iterum ergo mari feliciter transmisso, venit Mantuam Carpetanorum, ubi in Didacum, quem olim in Indias secutus fuerat, tum *divitis portûs* Episcopum incidit, ejusq; familiam auxit. Deinde conversо in Italiam itinere, cùm aliquot in Vrbe annis præclara religiosæ vitæ exempla dedisset, à summo Ordinis Antistite, in Hiberniæ, Scotiæ, Angliæ, & Belgii provincias Vicariâ auctus potestate, à Romano etiam Pontifice, Clemente VIII. poposcit atque impetravit laborum suorum præmium, sacrum illud palladium, illud pro Belgis suis liberale Iubilæum, quod anno ∞. IↃC. II. Bruxellam attulit. Vbi porro reliquum ætatis exegit, Alberto & Isabellæ Principibus gratissimus, carissimus omnibus, ob morum suavitatem, & vitæ sanctitudinem. Cùm annis laboribusque fracto ad cetera corpore esset, animo tamen semper vegeto fuit ad pietatis exercitia, quæ nunquam intermisit: seu ægri, in quos miro charitatis æstu flagrabat, visitandi essent, quos verbis, consiliis, operâ etiam frequenter suâ diligens solabatur; seu audienda pœnitentium

De portu ricco.

crimina

crimina, ad quæ facilis aſsiduuſque ſedebat, magis pater, quàm judex. Quod autem ab iſto munere vacuum tempus habebat, omne id dedit precibus, quas continuas, uno perpetuo plerumque ſpiritu, ne externa turbarent, recitabat. Denique tibiæ malè affectæ diuturnis languoribus exeſus, placidè, ſicut vixerat ſemper, in Domino obdormivit, non ſine ſanctitatis apud omnes opinione, VII. Kalendas Auguſt. anno poſt Deum hominem ∞.IↃC. XIV. Conditus eſt Bruxellæ in æde antiquâ propè aram majorem. in lapide ſepulcrali ſculptum legitur hoc Epitaphium.

D. O. M.

BONE LECTOR BENE PRECARE.
R.P.M. FRATRI CORNELIO DE BYE THEOLOGIÆ DOCTORI, ORDINIS S. AVGVSTINI, DVM VIVERET VICARIO GENERALI IN BELGIO, QVI POSTQVAM VIGINTI DVOS ANNOS INDIS ET AMERICIS EVANGELIVM PROMVLGAVIT, ET HISPANIÆ ET ITALIÆ INCOLAS DOCVIT, MAGNO SVI RELICTO DESIDERIO, HIC QVIEVIT XXVI. IVLII CIↃ. IↃC. XIIII. ÆTATIS SVÆ LXXIIII. RELIGIONIS LV.
AMICI MOESTI POSVERE.

Pater

Pater Henricus Hyvæus S. T. Doctor Auguſtinianus Bruxellenſis eidem parentavit extemporaneâ hâc declamatiunculâ.

QVanquam ego ſanctioris lege ſilentii verba continerem, Auditores, nec aliquo, vel umbratili mœſtitiæ ſigno vobis proderem, quantus & quàm acer in his animi mei receſſibus dolor lateat, nec ingenua juventus noſtra egregiis ingenii ſui monumentis publicum mœrorem teſtaretur; parietes tamen ipſi, & pullus triſtis ille color, atque adeò vultus veſtri ſolito mœſtiores totam rei dicendæ ſeriem ſatis ex ſe ipſis propalarent. Etenim omnia hæc vultu priùs, quàm linguâ dilucidè fatentur, Reverendum P. CORNELIVM DE BYE, optimum illum Patrem omnibus carum, nullis exoſum, S. Theologiæ Doctorem eximium, inſignem Auguſtiniani Ordinis Atlantem, & quondam apud Antipodas Chriſtianæ religionis ſedulum propagatorem, mortem nunc, quia homo erat, oppetiiſſe. Tanto ſui quidem relicto deſiderio, ut nondum obiiſſe, ſed in omnium mente, vivere adhuc hodie, & inpoſterum cenſeatur: quippe qui, dum viveret, mortem ſibi cogitatione quotidianâ ita ſuavem effecerat, ut illi quàm libentiſſimè obviàm ire, & dum moreretur, non mori, ſed vivere etiam tunc videretur. Obiit tamen, ſeu abiit. Quod cùm ita ſit, & ego illo, dum in vivis eſſet, ſtrictiſſimè uſus fuerim, & illius agones ultimos ſacris operans ſeriâ prece Deo commendaverim, & ille ſub

has eaſdem ſacras & auguſtas occupationes piam efflaverit animam ; ratio poſtulat , ut ad ejus juſta æquiſſima calculum etiam meum addam , & rudi penicillo laudes aliquas ſtrictim aſſequar , ut hâc laconicâ ſaltem ratione , videar famam ejus, ſi unà occumbere potuiſſet , voluiſſe ſuſcitare. Quod cùm aggredior , non tam vereor veritatis metas tranſilire, quàm infra ipſam veritatem ſtilum meum coarctare: aut (ut veriùs & candidiùs me vobis explicem) tanti Patris non ſpernendam gloriam, etiam imminuere , ſi non obſcurare, vehementer formido. Grave nimirum eſt , & perarduum , illius pii Patris virtutes ampliſſimas in compendium, ſeu breviariolum redigere ; imò laudatione eas proſequi difficile eſt , & re aſſequi difficillimum , etſi beatiſſimum. Vt aliquid tamen dicere incipiam , neque funeſto ſilentio amplius quàm par eſt , concedam ; pro impoſito mihi munere , vobis benignè pro veſtro in mortuum numquam morituro affectu & audientibus , & faventibus , quamvis videam oculos magis in luctum , quàm aures in panegyris exceptionem inclinare, (tantus heu omnibus nobis pro communi omnium Patre ineſt dolor!) quare Reverendus ille Pater APIS *agnomen præ ſe tulit,* BYE *namque phraſi Belgicâ* APEM *ſonat,de Apis encomio loquar potiſſimùm, atque Apem imitabor, quæ mel formare cupiens , non quoſcunque obvios floſculos , ſed ſolos uſui futuros colligit : ſic quoſdam veluti floſculos ex hujus Patris vitâ pro encomio, ſive laudis favo ſeligam. Alioqui ſi in illius nomen mentis aciem*

aciem converterem, in CORNELIO *egregiorum facinorum cornucopiæ reperirem. Itaque, ut in Apis agnomine hæream, ex Haga-Comitum in Hollandiâ tanquam ex felici alveario Apis noſtra prodiit anno* CIↃ. IↃ. XL. VIII. *Idus Novembris, & quam à teneris vnguiculis cum lacte nutricis piorum parentum induſtriâ imbiberat pietatem, ita altè retinuit, ut nunquam ab avitis degenerârit virtutibus, ſed eas ingenioſiùs, formato in dies pietatis favo, maximopere illuſtrârit. In eo adoleſcente, cùm ejus ad probitatem & litteras capeſſendas animo, fervor & amor ita certaſſe viſi ſunt; ut nec litteræ probitati, nec litteris probitas cedere voluerit: ſicque effectum eſt, ut hæc Apis ingenioſa ex bene formato adoleſcentiæ flore, mel dominico palato gratiſſimum efformaverit. Et quamvis ea ætas cerea ſit, & in vitium flecti facilis, conſtantiſſimè tamen ab eo abhorruiſſe perhibetur. Quod ut reipsâ teſtatum relinqueret, & ſacris quoque tabulis conſignaret, cùm Syrtes & Charybdes fluctuantis hujus ſæculi prævio bonæ mentis lucifero dignovisſet, noſtræ ſacræ Religioni Auguſtinianæ in Conventu Granatenſi nomen dedit anno* CIↃ. IↃ. LIX. XII. *Kalendas Majas. In natali quidem ſolo apud Batavos pium hoc votum explere non ſemel optaverat, ſed parentibus id ægrè ferentibus, & unicum hunc filium, deliciarum delicium, à monaſtico inſtituto deterrere conantibus, alio fine in Hiſpanias mittitur, ut cum ſoli mutatione animum monaſticum inſimul mutaret. At ipſe ibi terrarum, finem optatum*

feliciùs assecutus, parentibus frustrà reclamantibus, confirmato pristino de suscipiendâ religione animo, totum se ordini nostro mancipavit. Quo in negotio Apem se fuisse sacro calculo comprobavit. Eam enim indolem apibus natura indidit, ut quàm primùm operam fingendis favis admoliuntur, totum intus alvearium secreto quodam bitumine liniant, ne quis earum in effingendis favis percipere possit artificium. Nunquid huic veritati subtile Alexandri Magni facinus suffragabitur? Alexander namque captus aliquando seriâ & regiâ cupiditate spectandi apes in melle & favo effingendis affabrè occupatas, ut perspicuè, quidquid in diaphano hoc domicilio fieret, cernere posset, vitreum fieri jussit alvearium. Apes verò anteà quàm ad mellis favíque formationem se accingerent, totum apiarium intus oblinivérunt, adeò ut Imperator voti sui compos esse minimè potuerit. Eodem planè modo egisse APIS *nostra sagacissima mihi videtur, ubi noluit strepitante gloriolæ buccinâ passim divulgare modum, quo sanctæ religionis favos in secreto cordis apiario componebat. Sed insciis his, & refragantibus illis, cum mellifluo Patre Augustino in longinquioribus Hesperiæ plagis favos mellis apprimè laboratos nobis & Ecclesiæ Dei frangere satagens, etiam abditissimos Americæ sinus penetravit. Postquàm enim fortiter suaviterque de Religione mereri cœpit, bonam animi frugem ad Indias Occidentales anno* CIↃ. IↃ. LXIII. *magnâ sui gloriâ & compari labore, ulteriùs transmisit. Ingenuè profectò &*

quasi

quasi ambabus ulnis hanc laboris provinciam susceepit, sibi certo certius scitum hoc objiciens, Aromata tunc vehementiùs fragrare cùm moventur aut teruntur, & multò uberiùs, si minutiùs frangantur; ita virtutis famam spargi latiùs, cùm negotiis & rebus adversis exercetur. Quid ergò, ubi fidei propagandæ ratio cunctos superat anfractus, & ferventissimus zelus fervention citra periculi metum supernatat procellis? Hâc ratione victus CORNELIVS *noster, & hoc Genio ducta. Apis nostra in remotissimas Mexici oras involavit. Eò loci mel bonis, & aculeum malis pro veræ apis munere proposuit; ita tamen, ut mellis dulcedine, aculeus præveniretur. Ad apum Regis naturam, Apis siquidem nostra propiùs accedebat, ut qui, ô naturæ prodigium! aculeo in dulcedinis argumentum caret, aut si non caret, postea quàm Rex delectus est, eo uti oblivisciture. Apis nostræ melleam indolem bono suo experta sunt illa nostra in ipsis Indiis Occidentalibus monasteria, quibus ad ducentorum milliarium intercapedinem præfuit auctoritate, & vitæ præluxit exemplis. Verùm barbaros illos Americæ, & Indiarum in Sathanæ laqueos occidentium incolas, aræ salutis sistere cupiens, in eam induxit sententiam, ut simulacris renunciare, Deo uni vero totos se consecrare, fidem constanter amplecti, & aliàs indomitam, exuere barbariem certatim proposuerint. Tantam scilicet ex se primâ fronte apud id gentium emisit virtutis & famæ dulcedinem, ut a piastro herbâ nobilissimâ (quâ si alvearia inunguntur, apes*

eâ illectæ non fugiunt) *iunctus totus illius plagæ cuneus videretur. Sed hæc non ita mira vobis videri debent, quin penitiùs miremini alia, quæ Api noſtræ iis in locis ad Dei gloriam & æviternum ſui nominis monumentum acciderunt. Quæ ne ſilentio prorſus præteream: Nónne vel invidiâ judice, ſupra naturæ vim fuit, quod inaudita, eáque difficillima earum regionum idiomata etſi varia, breviſſimo temporis intervallo, facillimóque negotio ad amuſſim citra hæſitationem perdidicerit? Quid verò, quòd ipſo fidei prima eò loci jaciente ſemina idola corruerint, & dæmones in illis obmutuerint? quomodo, niſi Deus vires homini ſuppeditaſſet & auxiſſet, potuiſſet frequenter bis in die oblato incruento Sacroſanctæ Miſſæ ſacrificio, ter quatérve promiſcuas catecheſes inſtituere? quomodo ad multa hominum millia toties ſermonem habere? quâ viâ bis mille & pluribus aliquando hominibus vel uno die ſacri baptiſmatis lavacrum impendere? Quis mulierculas, & alios id farinæ meticuloſos homines ad tranandos fluvios rapidiſſimos ſine divini zephyri flatu animaſſet? Tranaverunt tamen, & APE noſtrâ tanquam Heliâ quodam ſectis aquis viam præſtituente, reliqua turba, quam anteà ſola naufragii cogitatio deterrebat, rate velut certiſſimâ navigans, audax ſequebatur. Parva hæc etſi vix caput efferre videantur, magna tamen videri poterunt, ſi etiam ex niveo veritatis calculo, & Phœbeâ, ut ajunt, cortinâ adſtruamus, feras quoque ipſas innatam ferocitatem exuentes miteſcere, &*

hoc

hoc ſupra fidem humanam & naturæ limitem contigiſſe. Illud tamen contigit. Contigit inquam, quòd in abſtruſis & inviis illis ambagibus errantem aliquando & obviam APEM noſtram habuerint bruta ferociſſima, nec unquam ei nocuerint. A veritatis ore ſcio, quæ vobis narrata ſunt, Auditores, quæ ſi vos in nauſeam adſumere deprehenderem, ex illis Indiæ & Americæ finibus egrederer, ut in animos veſtros leviter & leniter quod ſupereſt inſinuarem. Quod cùm vos æquâ benevolentiæ lance trutinare credam, imò videam; Adjicio nobiliſſimam in APE noſtrâ excelluiſſe modeſtiam, & humillimam ſuperbiſſimis opibus præpoſuiſſe pauperiem. Etenim quod pro tanto in longinquis iis regionibus ad viginti duos annos obito labore, in debiti & grati animi ſymbolum auri pondus, & cara rara alia munera incolæ abeunti offerebant, ſubmiſſo vultu, paupertatis voti memor, non abſque videntium admiratione, recuſavit. Nec ab apis indole tunc diſcedere debuit, quæ vitæ ſociæ amantiſſima bonum publicum privatis commodis antepo-nit. Gratis igitur pro Chriſtianâ Republicâ omnes animi ſui nervos extendere, inſomnes noctes tranſmittere, & curis curas maritare, à ſolo bonorum bono Deo mercedem exſpectans, volupe ſibi & ingenio Chriſtiano dignum eſſe exiſtimavit. Nec hoc miror, neque ratio eſt; nam apibus hæc ineſt proprietas, ut ſe ipſas enervent, ut bonum publicum tueantur. Audite quid ipſis dictum,

Sic vos non vobis mellificatis apes.

Rectè

Rectè quidem. verùm enimverò hoc apis ſtudium, & ſui pro boni publici conſervatione neglectus, viva quædam voti paupertatis uniusè tribus, quæ Religio eſſentialia vocat, imago eſt, cui ſe Apis noſtra ſacerrimo vinculo adſtrinxit. Reliqua duo, Obedientiam & Caſtitatem apibus pari laude familiaria, & in APEM noſtram convenientia levi digito attingamus. Populum Ægyptii ſacerdotes obſequentiſſimum Regi ſuo (inquit Pierius) ſignificare ſi vellent, apem faciebant, quæ ſola ex animalibus Regem more hominum, habet, quem univerſum agmen conſectatur, & ubicunque conſedit, ibi cunctarum caſtra ſunt. Miſſam facio apum erga Regem obēdientiam, quod feſſum humeris ſublevent, validius fatigatum ex toto portent, multáque ejuſmodi. Vt ad Caſtitatem, & intaminatam apum virginitatem ſtilum convertam: quanquam ſexcenta produci poſſint virginitatis apum teſtimonia; Virgilianum unicum erit nobis inſtar omnium:

Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt.

En percepiſtis apum Caſtitatem, Obedientiam, & ſtupendas illis à parente naturâ ingenitas dotes; quas omnes in APEM noſtram CORNELIVM, ceu verum & germanum hæredem, Deus cum naturâ infuderat, infuſas excoluerat, & excultas variâ expoliverat amœnitate. Quis enim (abſit

verbo

verbo invidia, & ejus similium pace id dixerim) quis, inquam, illo laboriosior? quis in rebus fidei, quis in morum probitate, & virtutum integritate ad pristinum nitorem revocandâ, illo ferventior? quis sollertiùs monastica illa vota, asperitatem vestium, cibi delectum, & mutuum in omnes affectum ad æquilibrium æquè observavit? Sileo interim ejus in singulos ceu omnes zelum verè paternum & singularem. Sileo precum & orationum assiduum fervorem, utpote qui decies potiùs idem verbum repeteret, quàm vel syllabulam perperam pronuntiaret. Taceo diurnas ejus nocturnasque & indefessas in conscientiis alienis expiandis curas, ut meritò illi necessarii fuerint ex Xenophontis sententiâ πολλοὶ ὀφθαλμοὶ, καὶ πολλὰ ὦτα. Non est quòd illius perspicacem in regendo dexteritatem, & incredibilem in omnes sinceritatem, & indicibilem candorem, quem toto sui regiminis & præposituræ Vicarii Generalis tempore, magno voluptatis fœnore, experti sumus, uberiùs vobis inculcem. Neque est otii mei, nec patientiæ vestræ, ut ejus comitatem, liberalem conversationem, & futuris sæculis memorandam in litterarum amatores propensionem hîc interseram. Nam posteri illius famam, & in famâ perenne beneficium recitabunt. Aliàs etiam Hispania, etiam Roma pro hujus viri encomio, si omnia enarranda essent, decertarent, & antiqua eruerent panegyris argumenta. Propero igitur ad sermonis coronidem, si priùs tibi, ô Belgica, luctum indixero, qui quondam in hâc APE nostrâ bis jubi-

lariâ bis jubilasti. Primò, cùm tibi Apostolicum Iubilæum veluti favum mellis multis animarum millibus sapidissimum, à Clemente VIII. Pontifice Opt. Max. pius ille pater cordis jubilo, & profusis lacrymis popposcit, exoravit, & hucRomâ anno CIↃ. IↃC. II. *asportavit. Secundò jubilasti, cùm ab hinc quinquennio, transactis in sacro Ordine Augustiniano annis quinquaginta ad aras augustissimas jubilantem audivisti, vidisti, suspexisti, & in nostræ* APIS *manibus sacrum favum mellis adorasti. Sed, ebeu! hæc* APIS *nostra ex communi mortalis vitæ alveario VII. Kalendas Augusti evolavit. Evolavit, sed, uti confido, ad meliorem vitam felici volatu. Quia, quomodo malè mori poterat, qui bene vixerat; & qui ante senectutem curaverat ut bene viveret, & in senectute, ut bene moreretur? Atque si nunquam ille miser est, cui facile est mori, beatam & verè beatam dixerim* APEM *nostram, quæ tam facilè mori visa est, ut miserum judicaret nescire mori. Ast mortuum esse scitis* CORNELIVM *nostrum, nostis* APEM *nostram excessisse, Auditores, & idcircò piâ mente pia justa pio Patri persolvistis, & tanquam Apes* APEM *honore funebri prosecuti estis. Sodales enim Apes quo possunt mœrore & lacrumâ mortuas sepeliunt. En Poëtæ fides;*

Tum corpora luce carentûm
Exportant tectis, & tristia funera ducunt.

Tristia illa funera duximus, & tibi corda in suspiriis, & suspiria in cordibus, ô Deus æterne, consecravimus. Itaque si

si nondum exoravimus, fac nos, ô Pietas pietatis, pietatem tuam exoremus! Exoremus, inquam, ut mœrorem conceptum coërceamus. Quod fiet, ô ALTA MENS *mentium, si* API NOSTRÆ CORNELIO *per te æternùm gaudere, & suaviſſimo beatitudinis tuæ favo in alveario cæleſti citò frui concedatur.*

I. Fran. inu.
ALOYSIVS LEGIONENSIS
Ord. Ere. S. Aug, S T D. diuina
rum artium et multarū linguarum
peritiß. S. Scripturæ apud Salamaticenſes Inter.
pres primarius Caſtellæ Prouincialis diem extremū
clauſit x xiij Aug. Año CIↃ IↃ xCI.
C. Galle. fe.

ALOISIVS LEGIONENSIS.

ALOISIVM tamquam ſæculi ſui phœnicem Salmantica venerata eſt, ob raritatem ingenii, quod humano majus plerique credidêre. Latinis, Græcis, & Hebræis litteris inſtructiſsimus omnium facilè diſciplinarum præſidia ſibi comparavit, ad ſacrarum litterarum tenebras illuſtrandas: quod fecit in Academiâ interpres primarius tam ſplendidè, ut, ubi ille facem accenderat, ſol ibi quaſi mero meridie clariſsimus lucere videretur. Provinciæ Caſtellanæ præfecturam adminiſtravit ordinariâ; ſummâ deinde cum poteſtate vicem Reverendiſsimi Patris Generalis in eâdem curavit, & arctioris vitæ initia poſuit. Magnus illi & conſtans animus fuit, cujus egregia ſæpe ſpecimina dedit: inter quę hoc princeps eſt & memoratu dignum, quod Cruſenius recitat. Æmulorum calumniis

Cruſenius in Monaſtico p. 3. c. 40.

(.... *invidiâ ceu fulmine cuncta vaporant*
Plerumque, & quæ ſunt altis magis edita cumque)

Lucret. l. 5.

ad tribunal ſacræ Inquiſitionis nomen ALOISII ceu legirupionis delatum fuit. E cathedrâ ergo, quam ſolitâ cum majeſtate impleverat, ad ergaſtulum derepentè raptus, diem non vidit totos omnino duos annos. Quod forti quidem & alacri animo tulit; ut qui innoxium ſe ipſe ſciret, & virtutem per adverſa optimè explorari.

Ἄκμων μέγας θ᾽ ὑ φοβεῖται τὺς ψόφυς,
Καὶ νῦς ἐχέφρων πᾶσων ἔλκεσων βίαν.

Strepitum ac tumultum maxima incus haud timet,
Conſtans nec animus quamlibet violentiam.

Cùm autem viri innocentia calumniis omnibus ſuperior, apud ſevera ſacri judicii ſubſellia inimicorum laqueos diffregiſſet, triumphum publicum meruit, quem & triumphavit palmâ nobilis, lauruque vinctus caput, & candido amiculo (innocentiæ id erat teſtimonium) ornatus, præcone antè ad eum locum eunte, ubi vincula induerat. Priſtino illic honori, titulis, & ſacrorum librorum profeſsioni, ſolennibus & conceptis verbis reſtitutus, ſtatim (ô infractum malis, & pluſquam triplici ære munitum pectus!) incoram frequentiſsimo auditorio, quod ad ſpectaculum voce publicâ excîtum concurrerat, lectionem auſpicatus eſt iſtiuſcemodi verbis; *Dicebamus heſternâ die*: aut jam tum oblitus illud duræ

capti-

captivitatis biennium, deletâ ex animo injuriarum omnium memoriâ; aut certè arbitratus diem nullum inter eos medium cesſisſe, quando ſol ei publicus non luxerat; aut reverà omnes eos periiſſe, quibus publicè prodeſſe non potuerat. Diem autem poſtremum vixit XXIII. Auguſti, anno CIↃ. IↃ. XCI. ætatis ſuæ LXIV. Epitaphium, quod ei Fratres Salmanticenſes in clauſtro poſuêre, hoc eſt:

D. O. M.

MAGISTRO F. LVISIO DE LEON, DIVINARVM ARTIVM ET TRIVM LINGVARVM PERITISSIMO. SACRORVM LIBRORVM PRIMO APVD SALMANTICENSES INTERPRETI. CASTELLÆ PROVINCIALI. NON AD MEMORIAM LIBRIS IMMORTALEM, SED AD TANTÆ IACTVRÆ SOLATIVM, HVNC LAPIDEM A SE HVMILEM, AB OSSIBVS ILLVSTREM, AVGVSTINIANI SALMANTICENSES PP.

OBIIT ANNO M. D. XCI. AVGVSTI XXIII. ÆTATIS SVÆ LXIIII.

Ingenii ejus monumenta edita ſunt

De utriuſque agni typici atque veri immolationis tempore.

In Cantica Canticorum triplex Explanatio. quam nitidam & elegantem Antonius Poſſevinus vocat; Martinus verò Delrio, *Iſagoge Commentarium in Canticum Canticorum*, omnium recentium in hâc re principem. Salmanticæ apud Guilielmum Foquelium, anno 1580. & 1585. Item Venetiis apud Ioannem Guerilium an. 1603.

Commentaria in Abdiam Prophetam. apud eumdem Foquel.

Commentaria in Epiſtolam ad Galatas. apud eumdem.

De nominibus Chriſti Domini libri tres. Salmanticæ an. 1587. apud Guilielmum Foquelium. qui deinde in linguam Italicam verſi Venetiis prodierunt. Tertiò fuere editi. Quibus additus eſt libellus de perfectâ Conjugatâ, hiſpanicè, *de la perfecta Caſada.*

Commentarius in pſalmum XXVI. *Dominus illuminatio mea*, ad Illuſtr. & Reverendiſſ. Gaſparum Quiroga Archiepiſcopum Toletanum, S.R.E. Cardinalem.

Quæſtiones Theologicæ.

Ad

Ad prælum præparata, quæ Petrus Loy S. T. Licentiatus, Auguſtinianus Colonienſis, ſe vidiſſe Salamanticæ aſſerit,

Commentaria idiomate Hiſpanico in librum Iob.
Diſputationes de editione Vulgatâ.
Prælectio Theologica ſuper pſalmum LXVII. Exurgat Deus.
Quæſtiones variæ.
Prælectiones de fide. & plura alia, quæ lucem nunc aſpicerent, niſi Magiſter Baſilius de Leon, nepos ejus, qui ea diſpungebat, lucis antè uſuram amiſiſſet.

Doctorum legione Primipilus
Famâ judice LVDOVICVS *audit;*
Qui fortis Latiam præit cohortem,
Qui Græcam vigil exit ante taxin,
Qui ducit ſimul Ordines Hebræos,
An ſtipendia terna non meretur?

AVGVSTINVS ANTOLINEZ Ord. Ere. S. Aug, S T D. Archiepiscop⁹ Compostellan⁹ qui quondam D. Thomæ, deinde Durandi, Sedē in vniuersitate Salamātica tenens, totā Hyspaniam eruditionis suæ fama, impleuit. animā vero posuit xm Kal. Iuly A⁹ ∞ 10c xxv 1.

AVGVSTINVS ANTOLINEZ, ARCHIEPISCOPVS COMPOSTELLANVS.

QVi Avgvstini Antolinez animum inſpicere potuiſſet, dixiſſet Muſarum, ſed multò magis virtutum templum eſſe: ita has illaſque egregio connubio in ſuo pectore ſociaverat. Natus Vallis-oleti, urbe Regiâ, ibidem in familiam Auguſtinianã tranſiit. In eâ ducem induſtriam ſecutus, ad ipſa ſapientiæ adyta penetravit. Magiſterii lauru mactus cathedram ſtatim primariam aſcendit, tenuitq; ſummâ cum laude, & admiratione omnium. Inde ob raram doctrinam evocatus Salamanticam, ad Divi Thomæ, deinde Durandi, ſacræ poſteà Scripturæ primariam iterum ſedem evectus; denique totius Academiæ calculis, atque acclamationibus omnium, Scholaſticæ Theologiæ profeſſor inauguratus, Hiſpaniam totam eruditionis ſuæ famâ implevit. Vt jam oraculi inſtar eum omnes

consulerent summates viri atque infimates: eo majore cum lubentiâ, quòd facilis, blandoque vultu venientes quasi alliceret; longè alienus à tetricis illis agrestibusque, qui à cathedrâ Magistrali, quam semel inscenderunt, prodeunt veluti ex antro Trophonii, vultu severo, & ad gravitatem caperato. Contrà AVGVSTINO nostro suavis quædam comitas inerat: ut ad affatum suum omnes admitteret, tenuioris fortunę homines etiam provocaret. Pauperes amavit impensè: vt obvia mendicabula veste interdum, calceis frequẽter suis texerit; ipse verò redierit ad monasterium seminudus excalceatusque. idque in præfecturâ ipsâ Provinciæ, quam gessit quartùm; sæpiùs ad eundem magistratum Fratrum suffragiis revocandus, nisi Rex Philippus majoribus virum honoribus destinasset. At verò cùm insulam Civitatensem accepisset (plures alias antè oblatas dignitates insulasque contempserat) reditus Episcopii sui omnes prodegit in egenos. Sed effusior fuit in ditissimo Archiepiscopatu Compostellano: ubi cùm Ecclesiæ suæ amplissimos fructus in pauperes dilapidasset, vidit se tandem ad incitas redactum, doluitque; non quòd ipse nihil haberet, sed quòd ab eo nihil possent pauperes accipere. Invenit tamen modum (industrius est omnis

nis amor)quo vacuâ manu liberalis esse non desineret. Non erubuit tantus Præsul adire opulenta negotiatorum æraria, stipemque ex illis mendicatò petere in pauperum alimentum. Hoc erat ovium suarum bene curare vellera; sed ut animas bonus Pastor ne negligeret, non timuit se perdere. Dum enim ovilia suæ diœceseos diligenter obit & visitat, in oppido, quod à *visu hilari* nomen habet, subitario morbo correptus, animam suam posuit XIII. Kalendas Iulij, anno post natum Christum ∞. IↃC. XXVI. ætatis suæ LXXIV. Scribunt quidam miro odore cadaver fragrasse: nempe virtutis id erat balsamum. Vitam ejus Hispano calamo editam, utinam videamus!

Scripsit

Vitam B. Ioannis de Sahagun.
Vitam D. Claræ de Monte Falco Salamanticæ impressam 1622.
Vitas aliarum Sanctarum Ordinis nostri, aliaq; plura M.S. habet R.P. Petrus Loy, S. T. Licentiatus Coloniæ.

IOĒS CRABBIVS Ord. Ere. S. Aug, in Belgio Prouincialis, Eccleſiastes Celeber:
rimus, et ad Stuporem eloquens, Magnatibus gratus, fidei catholicæ propugnator
acerrim⁹, Nobiliſs. Sodalitatis S. Antonij Bruxellæ inſtitutor abijt III Id⁹ Octob.
Año ∞ ɔ xc IIx.

IOANNES CRABBIVS.

IOANNIS CRABBI natalis incidit in annum ∞.IↃ.XLIII. Lovanii, quæ urbs Brabantiæ primaria eſt, Belgarum Lycæum, & Muſarum amœniſsimũ domicilium. Ingenium illi vegetum & ſubtile fuit, quod cultu exercitioque apud Eremitas Auguſtinianos, quorum ſodalitio adſcribi voluit, perfecit ad robuſtam eloquentiam. Prudentia deinde ſupra ætatem admirabilis, ob quam Dordraci in Hollandiâ Fratribus præfectus, magnâ apud ſuos auctoritate, maximâ apud exteros ſummates atque infimates gratiâ floruit. Cùm verò anno ∞.IↃ.LXXII.(qui Belgis luctuoſiſsimus, numquam è poſterorum memoriâ delebitur) hæreſis per Bataviam ferale caput contra Deum Regemque attolleret, & in Eccleſias ac capita Eccleſiaſtica, duce Lumeïo, perduellionum anteſignano, abominandorum ſacrilegiorum immania exempla ſtatueret, CRABBIVS noſter cum Præpoſito Franciſcano,(quem illi Guardianum dicunt) in tetrum carcerem compactus, craſſas compedes

des geſtare duos omnino annos coactus eſt. Sed virtutem animi ejus hæc maximè tempeſtas illuſtravit. Ibi tum, quantus eſſet, palàm oſtendit: quando pædores, tenebraſque ergaſtuli non deflevit, quod vulgò fieri amat, lamentis muliebribus; ſed è pedicis manicisque ſtrinxit Verbi divini gladium, pugnavitque pro fide orthodoxâ & Rege contra legirupas impios, acrique paræneſi frequens monuit ſuperſtites Catholicos, non deſciſcere à majorum religione, non deficere à Domino, cui obſequium utrâque lege deberent. Laborabant quidem, Miniſtri pſeudo-evangelici nunc argutãdo labefactare Catholica dogmata, nunc aſſentando periclitari attalicis conditionibus magnitudinem animi ejus: ſed ille frivolas inaneſque eorum argutiolas eluſit facilè, & blanditiarum offucias generosè contempſit. Anno demum ∞. IↃ. LXXIV. quidam haud infimo loco viri, qui cum avitâ religione aliquam præterea Dordraci auctoritatẽ ſervaverant, ſuam CRABBIO operam gratificantur, & advocationem ſuſcipunt, ac tandem vinculis & cuſtodiâ exemptum in libertatem reſtituunt. Lovanium ergo rediit; ubi Eccleſiaſten celebrem egit, nempe ad quem audiendum tota urbs confluebat. Præterquam enim, quòd ad dicendum omnibus artibus

tibus instructus accederet, habuit & in voce magnum splendorem, & in motu summam dignitatem. Personam hanc toto quinquennio præclarè sustinuerat; cùm ad monasterii Lovaniensis præfecturam anno ∞. IↃ. LXXIX. admotus, anno deinde ∞. IↃ. LXXXIII. ad provinciæ regimen assumptus est. Per ea tempora insigni Ducis Farnesii solertiâ sufflaminatus erat rebellium impetuosus furor, & ad Philippi Regis imperium aliquam-multa oppida redierant. CRABBIO non minor solicitudo incessit, Ordinis sui rebus consulere, & quæ fœda tempestas conturbaverat, oportunis remediis instaurare. Quod dum gnaviter strenuéque molitur, apud Belgii Optimates, quos in rebus difficillimis crebrò interpellare debebat, magnam sui opinionem excitavit: ut jam ejus in suâ caussâ industriam non modò admirari, sed etiam maturum ad Reipublicæ negotia judicium æstimare inciperent. Porrò CRABBIVS, cui non tam morbos suorum lenire, quàm ipsas morborum radices extirpare in animo erat, ignorantiæ desidiæque, quæ rectæ omnis disciplinæ pestes duæ sunt, profligandarum rationem excogitavit. Ea fuit, communibus Ordinum Mendicantium precibus implorare à Rege subsidium argentarium, quo fratrum studiosorum

rum Lovanii ſeminarium erigi poſſet; unde non exiguus in Religioſos honor, ſed major in Rempublicam utilitas redundaret. Placuit Ordinum Præfectis tentare aleam, & ſpartam hanc CRABBIO auctori committere. Is Parmenſem conſilii ſui conſcium antè facere voluit, ut patronum haberet: à quo cum litteris ad Regem in Hiſpaniam legatus abiit, onuſtus prætereà mandatis oppidi & Academiæ Lovanienſis. A Rege benevolè acceptus auditusque, facilè quod voluit impetravit. nam anno ſtatim inſequenti ſeminarium erigi cœptum eſt, & auctoritate Farneſii confirmatum, Epiſcopo Ruræmondenſi Lindano, & Ioanne Vendevillio ad inſulam Tornacenſem deſtinato, leges regulaſque, quæ pòſt typis evulgatæ ſunt, dictantibus. His aliiſque pro voto ſuo in Hiſpaniâ abſolutis, Romam proficiſcitur, tractaturus cum Romano Pontifice quædam ſibi ab Ordinibus commiſſa negotia: quæ itidem ſolens more ſuo, & citò, & feliciter expedivit. Inde in Belgium & ad Lovanienſes ſuos reverſus, Comitia ad XVI. Kal. Iulii an. ∞.IↃ.LXXXIX. edixit: in quibus Provinciæ præfecturam, quam ſex admodum annis ſummâ cum integritatis laude tenuerat, in P. Henrici Iaupenſ humeros, ſuffragiis Patrum ita conſentientibus, tranſtulit:

cum

cum quo deinde ad fundandum Bruxellæ cœnobium omni ſtudio incubuit. Id quoque uti cetera, omine auſpicato aggreſſus, impetravit, & eodem adhuc anno novam Fratrum coloniam in urbem principem primus ipſe Rector deduxit: quæ brevi tempore magnum incrementum ſumere viſa eſt, quemadmodum & fama nominis ejus, quam è ſacrâ pergulâ concionibus aſſiduis collectam, illic ad immortalitatem propagavit. Pii quoque ſtudii egregia monumenta Bruxellæ reliquit, quæ nunquam apud poſteros intermorituram ejus laudem loquuntur. Ab illo eſt in æde noſtrâ, titulo S.Antonii nobiliſsima Sodalitas, quam ſicut Dordraci in cœnobio ſuo, à viris primatibus, qui nomen illi dederant, floruiſſe olim viderat, ita auſpicari Bruxellæ voluit à Principibus & ſupremi ordinis viris, præter quos nemini ex imo ſubſellio ad eandem feneſtra aperta eſt, ut nullam eâ celebriorem nunc Belgicus orbis agnoſcat. Ab eodem originem in hâc provinciâ habuit ignorata antè Corrigiatorum Fraternitas, quam ad Bononienſem ceu aliarum matrem, CRABBI oratu ſupremus Ordinis Præfectus retulit. Vt omittam plura alia, quibus palàm eſt temporalibus eum juxtà ac ſpiritualibus ſtudiis ætatem ſalutariter conſecraſſe.

Cùm deinde grandi ætate affectum, ſed magis podagræ doloribus afflictum corpus vix traheret, linguæ tamen deliquium nunquam paſſus eſt; cujus exercendæ & populi docendi tanto ardore incendebatur, ut in ædem D. Laurentii, quam CRABBI nomen celebrem vulgo reddiderat, ſellâ geſtatoriâ ferri & ſupra confluentis populi cervices ad ſuggeſtum manibus tradi quaſi & trudi debuerit. Denique ad podagram & ſenectutem, quæ ipſa non minimus morbus eſt, aliis ſuccenturiatis & vim facientibus, vitæ ejus arcem mors invaſit, & migrare juſsit ad illam, quæ perpetuæ pacis gaudiis æternùm fruitur. Abiit III. Idus Octobris, anno poſt Deum hominem ∞.IↃ.XCIIX.

Extat in bibliothecâ Bruxellenſi manu ejus ſcriptum

Diarium controverſiarum, quas cum hæreticis habuit, de Sacramento Euchariſtiæ, de cultu Sanctorum, & imaginum, de Eccleſiâ Romanâ, de Hiſpanico Imperio, &c.

ANGE-

ANGELVS ROCCA Ord. Erem. S. Aug. S.T.D. iussu Sixti V. Pont. Max. Biblia, Concilia, Patresque restituit in Typographio Apostolico Vaticano per annos decem. Eum Clemens VIII. honorauit præfecturâ Sacrarij Apostolici, et episcopatu Tagastensi. Multa, ac Varia doctissimè scripsit. Obyt Romæ anno M.D CXX.

ANGELVS ROCCA,

SACRARII PONTIFICII

Præfectus & Episcopus Tagastensis.

NGELO lucem primam & cognomen dedit *Rocca Contrata*, oppidum in Piceno non omnino obscurum ; sed quod majorem ab ANGELO nostro lucem accepit. Camerinum ad meliorem, AVGVSTINIANAM vitam genuit, & Musis obstetricantibus ad mansuetiorem litteraturam atque humanitatem egregiè efformavit. Sanctiorem deinde sapientiam pleno ore hausit Perusiæ, Venetiis, Romæ. Patavii denique supremâ laureâ mactus, in numerum etiam Doctorum Academicorum adoptatus est, & emolumenta, quæ alii cupidissimè inhiant, ipse accepit ingratiis. Non potuit tamen viri integritatem flectere, nedum corrumpere pecuniarum sitis, ut non paulò pòst ex illo se albo expungeret, abiretque Venetias, ubi in Fratres suos & Cruciferos sine lucello

Ma-

Magiſterium exerceret. Inſtitit & Eccleſiaſten ibidem inter has curas agere: cujus numeros omnes ita implevit, ut dicentis pro concione facundiam admirarentur omnes, nemo non doctrinam ſuſpiceret. Neque ſuum interim calamum feriari paſſus, typographos in ſudorem dedit. Tam multis argumentis probatum, Auguſtinus Fivizanus Eremitarum ſummus Præfectus Romam evocavit, eique univerſi Ordinis ſecreta, & Auguſtini Triumphi de poteſtate Eccleſiaſticâ opus emendandum cõmiſit. Ad utraque ſe accinxit, abſolvitque porro non tam invitâ Minervâ, quàm animo: ut Sixtus poſteà V. Pontifex Maximus eum ad Typographeion Apoſtolicum, pro Bibliis, Conciliiſque, & ſanctorum Patrum monumentis reſtituendis, promulgandiſque magnificentiſsimè in Vaticano inſtitutum, acciverit. Vbi ANGELVS toto decennio difficilem, ſed ſimul inſignem operam navavit. Præter enim moleſtiam, quam devoravit in caſtigandâ typographorum negligentiâ, ſanctorum etiam Patrum, Gregorii imprimis Magni, & Doctoris Seraphici Bonaventuræ opera revocavit ad incudem, pleraque etiam doctiſsimis ſcholiis illuſtravit. Præclaram hanc ejus induſtriam deinde Clemens VIII. honoravit præfecturâ

cturâ Sacrarii Apoſtolici; decem pòſt annis inſulâ etiam Tagaſtenſi. Vt porrò ANGELVS præclaro apud poſteros monumento oſtenderet, non ſibi ſe, ſed aliis potiùs omnibus vixiſſe, adornavit Romæ in cœnobio S. Auguſtini locupletiſſimam, & omne genus Auctoribus inſtructiſſimam Bibliothecam, quam utilitati omnium, ſed præcipuè advenarum, qui ſine litterariâ ſupellectile ad Vrbem veniunt, publicè dedicavit, hâc epigraphe.

Supra Biblothecæ januam.

ΤΟΙΣ ΒΟΥΛΟΜΕΝΟΙΣ.

VOLENTIBVS.

Ad januæ dexteram.

F. ANGELVS ROCCA, CAMERS,
ORDINIS FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI ALVMNVS,
ET APOSTOLICI SACRARII PRÆFECTVS,
BIBLIOTHECAM,
OMNI ARTIVM ET SCIENTIARVM GENERE REFERTISSIMAM,
VIRORVM ITEM ILLVSTRIVM ICONIBVS AD VIVVM EXPRESSIS
ORNATAM,
LONGO TEMPORVM SPATIO,
MAGNOQVE LABORE, AC SVMPTV COMPARATAM,
COENOBIO S. AVGVSTINI, VRBIS, STVDIOSORVMQVE OMNIVM
NON SOLVM RELIGIOSORVM,
SED ETIAM CLERICORVM, ET LAICORVM COMMODITATI,
DAT, DICAT, DONAT:
VT ANIMI GRATI PIETATEM ERGA FAMILIAM AVGVSTINIANAM,
PARENTEM, ALTRICEM SVAM,
ET ERGA LITTERATOS, LITTERARVMQVE AMATORES PROPENSIONEM,
VIVIS, POSTERISQVE PATEFACIAT,
ANNO SALVTIS M. DC. IV.

Ad lævam.

BIBLIOTHECA ANGELICA.

CAVTVM EST, VT NE QVIS HANC BIBLIOTHECAM,
VEL MINIMAM EIVSDEM BIBLIOTHECÆ
SEV LIBRI, SIVE CVIVSCVNQVE ALTERIVS REI
IN DIPLOMATE PONTIFICIO CONTENTÆ
PARTEM AVFERRE, ABSTRAHERE, ALIOVE
ETIAM STVDENDI COMMODITATE ASPORTARE AVDEAT.
QVI SECVS FECERIT,
ANATHEMATIS VINCVLO ALLIGATVS ESTO,
NON NISI A SVMMO PONTIFICE ABSOLVENDVS.
QVI VERO DICTAM BIBLIOTHECAM, VEL MINIMAM EIVS PARTEM
VENDERE, AVT VLLO PACTO AB HAC DOMO ALIENARE AVSVS FVERIT,
PRÆTER EXCOMMVNICATIONIS LATÆ SENTENTIÆ POENAM,
BIBLIOTHECAM IPSAM VNIVERSAM
CVM OMNIBVS ET SINGVLIS REBVS AD EAM SPECTANTIBVS
AD CAMERAM APOSTOLICAM PRO BIBLIOTHECA VATICANA
ILLICO DEVOLVTAM ESSE SCITO.

Obiit

Obiit porrò ANGELVS plenus dierum, Romæ VII. Eidus Aprileis ∞. IↃC. XX. Cui Fratres Romani tale gratitudinis perpetuum monumentum didicarunt.

D. O. M.

FRATRI ANGELO ROCCÆ CAMERTI ORD. EREM. S. AVGVSTINI, EPISCOPO TAGASTENSI, ET APOSTOLICI SACRARII SVB CLEMENTE VIII. LEONE XI. PAVLO V. PP. MM. PRÆFECTO, INSIGNIS BIBLIOTHECÆ ANGELICÆ FVNDATORI, AC LIBERALISSIMO LARGITORI, VIRO ERVDITISSIMO, ET DE AVGVSTINIANA REPVBLICA OPTIME MERITO. PIISSIMI PP. AC FF. S. AVGVSTINI DE VRBE GRATITVDINIS ET BENEVOLENTIÆ AVGVMENTO POSVERE.
OBIIT ANNO SALVTIS M. DC. XX. DIE VII. APRILIS ÆTATIS SVÆ LXXV.

Elucubrationum ejus hic est catalogus.

Bibliotheca Vaticana, quæ omnes Bibliothecas insigniores tam antiquas, quàm recentes, Conciliorum item generalium præcipua, & potiora, &c. Aliaq; plurima scitu digna comprehendit. Romæ 1591.

Bibliotheca Theologica & Scripturalis, ordine Alphabetico digesta, ad promptiùs invenienda, & faciliùs intelligenda, quæ in Scripturam sacram à Doctoribus SS. & præcipuis aliquot Theologis elucubrata sunt, &c. Romæ 1594.

Commentarius de Sacroſancto Chriſti Corpore, ſummis Pontificibus iter conficientibus præferendo, &c. Romæ 1599.

Commentarius de Canonizatione Sanctorũ. Romæ 1601. *&* 1610.

Scholia in S. Gregorii Magni, ejuſque Parentum Imagines ære inciſas, & à Ioanne Diacono diligentiſſimè deſcriptas, &c. Romæ 1595. *Deinde Pariſiis cum Operibus S. Gregorii* 1605.

Oraculum heroico verſu Latino de auſpicatâ ſalute, urbi Venetæ divinitus redditâ, tempore peſtis, adventante aureâ Rosâ à Gregorio XIII. ad Venetos miſſâ. Venetiis 1577.

Commentariolus de Nuce, ad Innocentium IX. ſtemma ejuſdem Gentilitiũ myſticè repræſentante. Romæ 1591.

Expoſitio in Orationem Dominicam, Italico & Latino ſermone conſcripta. Romæ 1594.

Altera item brevior: in quâ multarum rerum Septenarii conceptus, juxta ſeptem Petitiones in Oratione Dominicâ comprehenſas explicantur. Romæ 1594.

Commentarius de Tribulationibus, linguâ Italicâ, le Viſite del Signore *inſcriptus. Romæ* 1591.

Commentarius de Patientiâ, Latinè & Italicè conſcriptus. Romæ 1588.

Commentarius Philoſophicus ac Theologicus de Cometis Italicâ linguâ conſcriptus. Venetiis 1577.

Opuſcu-

Opuſculum de Præſentationis Deiparæ Mariæ ſemper Virginis in templo Historiâ, & Feſtivitate. Romæ. 1597.

Chronohiſtoria de Apoſtolico Sacrario; Nomenclaturam, Inſtitutionem, & Inſtructionem; Munia item & ſeriem ſacriſtarum in Auguſtinianâ familiâ tercentum & ampliùs ab hinc annis conſervatam, & nunquam interruptam comprehendens. Romæ 1605.

De particulâ ex pretioſo & vivifico Ligno ſacratiſſimæ Crucis Salvatoris IESV *Chriſti deſumptâ, &c. Commentarius. Romæ* 1609.

Commentarius de ſacrâ Romani Pontificis Communione Miſſam ſolemniter celebrantis. Romæ 1610.

Obſervationes in ſex libros Elegantiarum Laurentii Vallæ, cum Apologiâ contra Laurentium Vallam, pro Boëthio de Perſonis Divinis. Venetiis 1576.

Obſervationes de linguâ Latinâ, &c. Venetiis 1576. *Romæ* 1589.

Bibliotheca Angelica omnium Artium ac Scientiarum generibus refertiſſima, &c. Romæ 1608.

Commentarius de Campanis.

Interpretatio obſcurarum vocum, quæ apud S. Gregorium Magnum, præſertim verò in Regiſtro Epiſtolarum leguntur.

Opuſculum de mendaciis, ac deliramentis Poëtarum, & Philoſophorum per Scripturam Sacram patefacta.

De ſacris aliquot Ritibus, ad ſuperſtitiones Ethnicorum

extirpandas magnâ cum pietate institutis: nec non Variarum Lectionum Ecclesiasticarum Opusculum.

Speculum humanæ vitæ Climactericum, Philosophicum, Historicum, ac Theologicum.

Commentarius de Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli prælatione, sive Imaginibus eorumdum, utra scilicet inter eas collocandas, aut pingendas præferenda sit.

Commentarius de Romani ac summi Pontificis Nominibus ac muneribus, nec non de Ministeriis vel obsequiis eidem præstandis.

Commentarius de Summi ac Romani Pontificis Potestate Spirituali ac Temporali; Donatione Constantini Magni, &c.

Opusculum de Confessione Sacramentali, quam vocalem vel auricularem vocant, non præstandâ per litteras ad Confessarium absentem missas, &c.

Notæ sive Scholia in utrumque Testamentum, ad ea cõmprobanda, quæ ex Concilii Tridentini Decreto, in sacris Bibliis vulgatæ editionis corrigendis à sacris Congregationibus tam Linguarum varietate, ac manuscriptorum antiquitate, quàm auctoritate ac lectione SS. Patrum, atque rationibus ipsis præstita fuerunt.

Plurima deinde diversorum Auctorum monimenta è tenebris ad lucem revocavit: præsertim Librum secundum sententiarum Ægidii Columnii Romani (de quo vide Possevinum in Apparatu sacro, verbo Ægidius) *necnon Summam*

mam Augustini Triumphi de potestate Ecclesiasticâ, ante annos trecentos editam; Commentarios ejusdem M. S. in Canticum Deiparæ; in Orationem Dominicam; & in Salutationem, atque Annunciationem Angelicam. Universa item Opera S. Bonaventuræ; cujus Commentarium ad librum IV. *Sententiarum Scholiis, Notationibusque & Indicibus illustravit.*

Denique alia complura.

POMPEII VGONII

Carmen Panegyricum.

O Lumen ingens Ordinis ANGELE,
Quem mente sacrâ lux Lybiæ Pater
Fundavit AVGVSTINVS, *unde*
Progenies numerosa fluxit
Latè per oras, artibus ingenI,
Virtute fulgens nec minùs aureâ,
Ecclesiæ navi tremente,
Præsidium, columenque fidum.
Te te ille se nunc altiùs evehit
Felici alumno cœtus amabilis,
Te gloriatur, quem secundo
Per patrias properare laudes
Gressu tuetur. non tibi desides
Labuntur horæ, non hebet otio

Erecta mens; sed perspicaces
In studiis teris usque curas.
Adhæc superbis æmula Regibus
Colenda nimirum, est locuples tibi
Collecta librorum supellex
Pontificum in lare Vaticano.
Te sede in illâ, nam pietas tua
Pridem locavit, magnanimo auspice
CLEMENTE, sacræ qui beatas
Divitias tueare gazæ.
Rectè merenti quod decus Ordini
Sanxêre justo munere Principes,
Servatque ad hoc ævi, trecentos
Perpetuâ serie per annos.
Celata sed quid gloria proficit,
Oblivioso tecta silentio,
Cùm clara tot Patrum jacerent
Nomina? tot memoranda facta?
En te resurgunt jam modò vindice
Sub lucis auras; te duce sæcula
Æterna vivent, quos iniquis
Obruerat tenebris vetustas.
Quos & laboris non tenuis tibi
Fuisse dicat, qui leget, abditis
Hinc inde chartis, eruisse
Ingenio, vigilique curâ.

Evolvat

Evolvat iſthæc poſteritas lubens
Afri Parentis; nec tibi gratias
Referre ſervanti gravetur
Priſca ſuæ monumenta gentis.
Tum nuper alto qui ſolio Petri
Conſedit, & cui ritè dicas opus,
Te fronte reſpectet ſerenâ
Egregius pietate Princeps.

F. IOẼS BABTISTA A GLANO S.T.D. Ord. Erem. S. AVGVSTINI, in Belgio quondam Prouincialis. Vir virtute ac doctrina pene sui temporis omnium clarissimus.

I. Fran. inu.

IOANNES A GLANO.

LEODII in Eburonibus natus est familiâ tenui, sed oppidò honestâ. Facile promptumque adolescentis ingenium litteris politioribus excoluerunt Fratres, qui animis amicè pieque inter se conspirantibus,& (ut sunt πάντα κοινὰ τῶν φιλῶν) collatis in unum reculis suis, communem vitam professi, per ea tempora juventuti in Belgio erudiendæ diligentem eamque utilem operam navabant. Deliciis Musarum suaviter, & pro istâ ætate (quatuor jam lustra numerabat) insigniter imbutus, ad maturitatem & virile robur alibi sese exercere statuit. Placuit sapientiæ & sanctitatis fontem, Christiani orbis sacrum Athenæum, Romam adire. Hanc ut intravit, Vrbs illi eremus visa, donec, quem adiret familiariter, in Eremo Augustinianâ Ioannèm *à Leodio*, popularem suum reperisset. Hunc amicè primùm & crebrò visere, deinde monitorem audire non illibenter, denique ex consuetudine virum

Ἔρημία μεγάλη ἡ μεγάλη πόλις. *Strabo.*

Consuetudo concinnat amorem. Lucret l. 4.

rum amare, & convivere omnino voluit: adeoque dum solitudinem vitare studuit, in Eremiticæ vitæ studium incidit. Thadæus Perusinus, qui summo cum imperio Augustinianum Ordinem

Anno 1572. Romanâ è speculâ administrabat, accepit pro omine non infelici, tum sibi offerri ingenuum & ingeniosum è Belgio adolescentem, quando novi è spelæo Calviniano emissi scythæ crudelitatis & sævitiæ omnes fluctus evomebant in monachos, eorumque claustra propudioso sacrilegio violabant. Hunc ergo Reverendissimus Pater destinare fulcimentum nutanti in Belgis religioni: sed & cælum visum annuere. Non e-

Anno 1575. nim multò pòst valetudinem ejus à radice corrupit morbus pertinax; ut nullam salutis illi spem reliquam darent medicorum filii, nisi quantulacunque esset in patrio aëre, qui ad vitam interdum eos revocat, quos omnes antè Machaones damnaverunt. Dimissus ergo ad Eburones suos, Leodium intravit, id est bonæ valetudinis portum. Morbo enim illic defunctus, vires facilè recepit, animumque ad sacra studia, in quorum proludio eum ægritudo prehenderat. Itaque Parisios abit: ubi in divinas litteras tam diu incubuit, donec per omnes pedetentim gradus, ad summum pervenit, lauru Theologicâ inter Magistros

giſtros Sorbonenſes ſolenniter coronatus. cui Regentis dignitatem ceu auctarium ſupremus Ordinis Prior adjecit; cùm priùs Ducem Nivernenſem, cui inprimis carus erat, Henrici III. ad Xyſtum V. recèns electum Legatum, Theologi titulo comitatus eſſet. Tandem patriæ ſuæ redditus, Priorem ſæpe & diu Leodienſem; deinde provinciæ totius Præfectum iterum egit. Comitiis in oppido Angienſi vice Generalis præſedit: alia denique munia omnia obivit, quæ in Religione Auguſtinianâ ſunt ampliſsima. In medio domeſticarum moleſtiarum oceano, licèt gravibus interdum fluctibus jactaretur, non tantùm clavum non dimiſit è manibus, ſed neque ſcholaſtica exercitia omiſit, ſimul & Prior bonus, & bonus Magiſter. Sicut enim principium ſapientiæ eſſe timorem Domini non ignorabat; ita putavit ſapientiam eſſe initium amoris Domini.

— *Ignoti nulla cupido.*

Fratribus ergo ſuis, (quod olim Pariſiis fecerat, ubi Ioannem Puteanum diſcipulū habuit) Theoſophiæ ſacra adyta aperuit tam ſincerâ animi cum lubentiâ, ut deſideria amicorum & optimatum, qui eum in Seminario Epiſcopali Leodii (cathenam vocant) publicè audire avebant, non admitteret. Ne tamen eorum vota contemnere

omnino videretur, verbum Dei pro concione frequens explicavit oratione tam ſolidâ & ſuavi, ut de forti egredi dulcedinem diceres,& à BAPTISTA noſtro ſolvi Sampſonis illud obſcurum problema. Neque intra Moſæ ripas cohiberi potuit luxuriantis eloquii ejus grande flumen, ut non Bruxellam, Antverpiam, Tornacum, & Lillam abundè irrigaret. Parum videri poterat ſatis auribus feciſſe; venire etiam in oculos & manus omnium voluit, & præla typographorum defatigare doctiſsimis commentariis, non minùs ſtilo quàm linguâ diſertus. Porrò labores, quos in munere Provinciali exantlavit, hîc perſcribere non eſt opis meæ. Eſt tamen aliquod operæ non parvæ pretium ſcire,Conventum Tornacenſem, quem Franci ad annum uſque ꝛc. IↃ. XC. ſibi ſubditum habuerant, provinciæ noſtræ eſſe inſertum, ejus induſtriâ, & operâ Ioannis Vendevillii Nerviorum Epiſcopi, quem deinde in agone luctantem BAPTISTA invocatus piè ſedulóque adjuvit. Occurrit quoque non indignum commemoratu illud in obitu provinciæ periculum,incertum, an lugere illud magis debeam, an ridere. Trajecto petebat Aquas-Grani,viâ admodum difficili, quam latrones undique hæretici obſederant. Vident, irruunt in hominem prædæ avidi,

avidi, & in ſilvarum abdita raptant. Sed dum tumultuariè examinant, & aliquem è fæce culinæ mediaſtinum ſe prehendiſſe credunt (humili in ſchemate, linguam ſuam Leodinam, ore præ metu abſono, balbutiebat) adeoque putant theſaurum ſuum carbones eſſe, bene pulſatum dimittunt. Enimverò ille verbero maluit, quàm longi in Bataviâ carceris cuſtos eſſe. Secundùm illa Romam ad Comitia Generalia Diffinitor profectus eſt: ubi infulam à Pontifice oblatam recuſaſſe vulgò dixerunt. & fidem rumor habuit, quòd & dignitate illâ non indignum eum, & ſimul dimiſſionis unicè ſtudioſum ſcirent. Poſtillà miſſus Lutetiam ſummâ cum auctoritate, Fratres ad modum vivendi arctiorem revocavit: ad quem deinde ſuos etiam Leodienſes induxit, magis ſuo exemplo, quàm diplomate, quod Româ miſerat. Scilicet

— *non ſic inflectere ſenſus*
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

ſed — — *tunc obſervantior æqui*
Fit populus, nec ferre vetat, cùm viderit ipſum
Auctorem parere ſibi.

Non tantùm verbis nudis ad ardua provocabat, ſed factis præibat, opere, non ſolâ linguâ magiſter,

ſter, ſciens *longum iter per præcepta, breve per exem-pla eſſe*, &

Ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τῷ τρόπῳ.

Vel non docendum, vel docendum moribus.

IOANNES ergo BAPTISTA ſuis dux erat ad virtutem, ad religioſam vitam, ad perfectionis ſtudium, ad regulæ & ſtatutorum accuratam obſervationem. Monita ipſa factis antevertebat. Suis parcere facilis, ſibi verò nunquam indulgere, in ſe ſuumque corpus durus ſævuſque. Hiſce ergò laboribus & gravi ſenio emaciatus, cùm ad ſcenam vitæ claudendam ab imperioſo morbo urgeretur, trepidare cœpit; & qui tam piè ſemper religioſeque vixerat, ut de vitæ æternæ præmio dubitare vix poſſet, mortẽ vicinam ſpectare non potuit conſtantibus oculis. *Quis eſt enim* (Tullii verbis utor) *aut quotus, quiſque, cui, mors cùm appropinquat,*

Non refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu?

Georgius Maigretius, qui moribundo adſtabat: Eja, age, venerande, ait, ſenex, qui aliis in hâc ultimâ luctâ tam ſæpe animum addidiſti, nunc temetipſum ne deſere. Tum ille: Non deſero, inquit; ſed jam primùm experior, quantum ſit inter theoriam & praxin diſcrimen. Quo dicto, placidè in Domino obdormivit. Affecit mors

ejus

ejus graviter Leodienſes omnes, apud quos ſummâ in veneratione ſemper fuerat, ob multijugem doctrinam, raram ſapientiam, & eximiam vitæ probitatem, omnia in modeſtiæ fundo firmata.

Ingenii ſui monumenta poſteris reliquit,

Hiſtoriam Pontificalem, ſeu demonſtrationem veræ Eccleſiæ à Chriſto fundatæ. cui præmittitur, *Directorium ad eandem hiſtoriam.*

Oeconomiam Chriſtianam in VIII. *libros diviſam.*

Librum de officio puellarum in duas partes diſtributum. Prior agit de iis quæ ad nuptias efformantur: poſterior de iis, quæ ad virginitatem perpetuam.

Europam, ſeu de primariarum Europæ provinciarum ritibus, cæremoniis, & veſtibus.

Hiſtoriam Antonii Goveæ, de progreſſu Eccleſiæ Catholicæ in Indiâ Orientali, ex linguâ Hiſpanicâ tranſtulit in Gallicam, cui adjunxit

Exhortationem ad Belgii Catholicos.

IOANNES PVTEANVS, Ordinis Eremitarum
S. AVGVSTINI Sacræ Theologiæ Regius Tolosæ
Professor. inter vivos esse desiit,
IOIOCXXIII
I.Franci.
C.galle f.

IOANNES PVTEANVS.

OANNEM PVTEANVM, Cimontii humili in Vaſconibus oppido parentes nullo avorum ſanguine, ſed tantùm ſuâ virtute nobiles genuerunt, lactarunt Gratiæ, Muſæ educarunt. A puero in diſciplinam gymnaſiarchę traditus, prima ſtudiorum tirocinia poſuit tam feliciter, ut ingenii fœcunditate, & firmitate memoriæ nemini illâ ætate concederet. Eccleſiaſtæ Auguſtiniani oratione ad IESV Crucifixi amorem incenſus, mundo ſua habere juſſo, Tholoſę D. Auguſtino nomẽ dedit: ubi litterarum, quæ anteà jecerat, fundamentis, virtutum religioſarum magnificam fabricam inædificare cœpit. In oppido, quod à Sancto Geneſio nomen habet, ad ripam Oldi fluminis, publico è pulpito rhetoricam profiteri juſſus, non vulgare eloquentiæ ſpecimen dedit. Inde miſſus Burdigalam, Philoſophicis ſe ſtudiis totum immerſit, emerſitque tam præclarus, ut non

modò per ora doctorum volitarit; ſed etiam vir optimus eruditiſsimusque Pater Portaginus, ex Ordine Seraphico, divini verbi præco celebris, Burdigalenſium Eremitarum cœnobium propter unum unicum PVTEANVM civibus è ſuggeſtu non rarò commendarit. Lutetiæ in Theologiâ audivit clariſsimum virum Ioannem Baptiſtam à Glano Leodium, ſocios habuit Leonardum Cocquæum Lotharingum, & Stephanum Rabachium vitæ communis in Galliâ reſtauratorem, illuſtres ex eodem Ordine Magiſtros, ſcriptis omnes notiſsimos. Cùm verò Pariſienſem aërem infeciſſet ſæva peſtilentiæ contagio, adeoque Academicorũ exercitiorum curſum ſtitiſſet, ipſe quoque retrò iter flectere, & Tholoſam ad ſuos redire coactus eſt. Sed ambulantem alia multò immanior peſtis invaſit. Ex impietatis carnificinâ, Calvini aliquot ſatellites, quibus

— *gaudium in omni*
Culpâ eſt, in quacunque eſt aliquid ſceleris;

PVTEANO manus & vincula injiciunt, & abripiunt in carcerem. Primæ in animum machinæ validæ, ſed fruſtrà expeditæ: vis deinde tortorum omnis in corpus ejus incubuit. Scripta, quæ ſola alicujus pretii putabat, diſcerpta atque uſtulata; integumenta, & pauxillum viatici, itineris qua-

le-

le-quale levamen, direpta. Vt ne autem nihil pro his ſe recepiſſe quereretur, largâ virgidemiâ & robuſto fuſtuario donatus, tandem è cuſtodiâ in libertatem exivit. Toloſam itaque intravit à recenti luctamine nudus athleta noſter, & pugnæ victoriæque notis, lividis adhuc vibicibus inſignis. Iam non tiro PVTEANVS, neque contentus ſimplice iſtâ adoreâ, ſeſe in ſe armavit; ut qui alios vicerat, ſe quoque ipſum triumpharet. Quare theodulum egit maximè, cùm theologum maximè agere juberetur: & cùm in gymnaſio gnaviter deſudaret, noluit tamen, contrà quàm fieri amat, ullas à choro ferias ſibi indulgere. Immò cùm perdius pernoxque in ſcholâ & templo doctrinam & pietatem coleret, non putavit ſe doctum aut pium verè eſſe poſſe, niſi quoque humilis eſſet. A cathedrâ ergo Theologicâ ſæpiculè deſcendit ad manticam, & religioſæ mendicitatis officium cum reliquis obivit, & ſollicitiùs reliquis. Vt dubitares majoríne majeſtate ſuggeſtum impleret, an demiſsiori animo panem rogaret oſtiatim. Magiſter ad docendum oppidò facundus; ad faciendum doctiſsimus, memor illius, quod Græci monent:

Ἔργοις φιλόπονος ἴσθι, μὴ λόγοις μόνον.

Eſto opere, non ſermone ſolo induſtrius.

Tantam cum insigni eruditione virtutem comes statim honor secutus est: nam & Tholosanum Lycæum supremam illi lauream, & Regentis dignitatem contulit summus Ordinis Antistes. Anno deinde ∞. IↃ. XCIII. Idibus Ianuarii, superatis in publico conflictu antagonistis doctissimis, ad primariam cathedram, Patrum Academicorum suffragiis evectus, regium stipendium meruit. Et verò meritum fuisse, testis ipsa schola est, cujus splendorem auxit maximè, confluentibus famâ nominis ejus ad sacrarum litterarum studium sine numero discipulis. Scholasticæ enim Theologiæ exercitamina jam diu omissa, ne dicam explosa, postliminiò revocavit PVTEANVS, habuitque tantâ cum solertiâ, ut qui vix quinque primùm auditores numeraret, plena deinde gymnasii subsellia videret. Erat in eo vegetum ac facile ingenium, judicium prętereà tam exactum, ut quæ multis alii horis, prolixisque verbis perplexè differuerant, unâ ipse periodo statim & ex tempore, solidè certoque expediret; tantâ apud omnes recti opinione, ut vocem perorantis mox totius coronæ assensus sequeretur. Quare Procerum, urbiumq; vicinarum frequens ad eum in arduis rebus concursus erat: & quod ipse unus dixerat (Pythagoricâ auctoritate,

αὐτὸ-

αὐτῷ ἔφα) quasi pro Academiæ oraculo omnes exciperent. Et tamen, quod monstro simile, ille, qui aliis omnibus omnia, nihil sibi scire videbatur: ut, quàm alii pulchrum putant monstrari digitis, & dicier, hi sunt; tam ægrum illi esset, aliquo honoris titulo nominari. Certè PVTEANVS habuit, si quis alius,

— καὶ μὴ κακῶς φρονεῖν
Θεὸς, μέγιστον δῶρον.

— *donum maximum*
Dei, modestè sapere.

Æschylus in Agamemnone.

Vtpote, qui sapientiâ, doctrinâ, auctoritate maximus, jam seipso major esset, cùm magnitudinem ipse suam non agnosceret. Porrò ad hanc profundam animi demissionem adjunxerat insignem erga Deum Divosque pietatem, quos officiis singularibus ita sibi devinxit, ut opem eorum præsentariam, variis in periculis, sæpenumerò senserit. Auctor est Simplicianus San-Martinus S. Th. Doctor Tholosanus, vir fide dignissimus, cives complures in desperato vitæ, utriusque discrimine animi semper, corporis etiam frequenter sanitatem ad ejus orationes, à cælo impetrasse. Ille ipse tandem longo hepatici sanguinis fluxu exhaustus atque elanguidus, cùm viatico sacro ad iter universale muniretur, animo

per

per vivam fidem & ſpem firmam ad Deum erecto; *Quemadmodum* (inclamabat crebrò) *deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* &, *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Demum cùm veniam à ſingulis Fratribus ſingulari cum ſubmiſsione flagitaſſet, & *Deus in adjutorium meum intende, &c.* abſolviſſet, ſpiritum ex hâc tetrâ caligine tranſmiſit ad eum, qui habitat lucem inacceſsibilem. Corpus autem cùm nihil hominis præter pellem & oſſa haberet, ut lucerna Punica lucidum, poſtridie totâ urbe ad funebres exequias effusâ, honorificentiſsimè ſepulturæ mandatum eſt.

Quibus intimum cor aret, & ſitim ſacram
Aquis Sophiæ vultis ire ſedatum,
Licet, crepate: lege ferreâ namque
Trium Sororum PVTEVS *olim inexhauſtus*
Scientiarum clauſus eſt quibuſcumque.

Scripſit IOANNES PVTEANVS

Commentaria in Summam D. Thomæ.

IOAN-

IOANNES COOLS.

Ord. Erem. S. Augustini Prior Provincialis, Incredibili laude omnis quadragenarii totidem Aduentus, et quadragesimas est concionat? Politiorum literarum scholas Bruxellæ reliquar. Seminarium aperuit Decessit in monast. Gandensi, Prior eiusd. ān. ◌. DC XII, ætat. LXIII.

IOANNES COOLS.

ET hunc Flandriæ Ciceronem (ita vulgò audiebat) Lovanio debemus, ubi natus eſt parentibus honeſtis anno ∞. IↃ. XLVIII. die XXV. Novembris, Catharinæ Palladi Chriſtianæ ſacro. Primum adoleſcentiæ florem Deo conſecravit, Lovanii Auguſtinianum monachum indutus, profeſſus verò Middelburgi, Zelandiæ primâ urbe. Ad ſacra ſtudia apud Grudios in urbe patriâ incubuit; ubi juvenis admodum, & tantùm diaconio initiatus,

Ante annos animumq; gerens, curaſq; viriles,

è ſuggeſto auditus eſt tam libenter, ut ipſo concionante vel maxima templa complerentur. Cùm verò anno ∞. IↃ. LXXIV. hæreſeos malum ingraveſceret, & omnia divina juxtà atque humana jura pudendâ rebellione polluerentur, everſis cum fidei orthodoxæ excidio monachorum cœnobiis, gemente ſub immani tyrannide univerſo Belgio, COOLSIVS ſolvit Middelburgo,

& in Hiſpaniam navigavit : ut quando ſolum mutare cogebatur, non deberet fidem aut Regem. Valliſoleti ergò hæſit annis aliquot, expectans, dum primus rebellii furor deferveſceret, & populus ſe converteret ad ſacra cæremoniaſque majorum. At verò, ubi animadvertit omnia ad diuturnum bellum,& patriæ religioniſque interitum ſpectare, ſtatutum cum animo habuit ac deliberatum, ad ſuos reverti. Ergo COOLSIVM reducem vident Grudii, audiunt iterum arrectis auribus de pulpito declamantem. Non multò pòſt revocato ad Regis obſequium Iprenſi oppido, ablegatur eò cum Prioris dignitate COOLSIVS, ut pro illo, quod hæreticorum veſania in ſuburbio everterat, excitaret in ipsâ jam urbe diſperſis Fratribus monaſterium. Dum totus in eo eſt, caſus eum quidam Gandavum evocavit. Ibi pluſculũ hærenti negotium faceſsivit otium, à quo ut ſe expediret, ſermonem ad populum habere voluit: quem profectò dixit lectiſsimum, eoque unico populum ſic ineſcavit, ut eum ſibi Magiſtratus Priorem flagitaret. Spartam eam ornare juſſus, diu ſtetit, dubius cui primùm operi manus admoveret: nihil enim præter rudera illic reperit; cùm furentium hæreticorum impetus, qui primus adeoque ferociſsimus in Auguſtinianos

ſtinianos datus eſt, cum monaſterio templum ipſum funditus evertiſſet, ductâ per medias ruinas publicâ viâ. Primus COOLSIO labor, cœnobii inſtaurationem à pietate inchoare. Sodalitatem ſanctiſsimi cruoris Domini, quæ ab eximio hoſtiarum miraculo nata pridem, tunc extincta jacebat, reſuſcitat, ordinatque quæſitiſsimo delectu ex viris honoratis magnificum collegium. Eccleſiam à fundamentis erigere majoris molis erat. Placuit ſuper eo Regem adire atque audire. Abiit eo animo in Hiſpaniam, ſimul cum mandatis, quæ illi commiſiſſe Gandavenſes Optimates dicuntur. Madritum ubi appulit, poſtridie Rex multo mane (quo neſcio modo rumor de adventu COOLSII ad eum penetraverat) virum tam longi itineris laſsitudinem ſuaviter edormientem accerſiri fecit. Ille nihil cunctandum ratus, deterſis leviter oculis, & conceptâ ex tempore oratione, tam dextrè diſerteque conſilia ſua aperuit, ut nihil admodum eorum, quæ rogabat, Rex denegare voluerit. Bonis ergo avibus rediit ad ſuos, modoque & medio invento, quo ædem ſacram exædificaret, jecit primum, deinde ultimum lapidem, anno, quem Gandenſium Poëtarum flos, Maxæmylianus Vrientius hoc diſticho notavit:

O Mœſtas Lætaſq̃Ve VICes! popVLI fVror antè
QVoD rVIt, ID popVLI nVnc faVor eCCe ſtrVIt.

Porrò cùm Gandavenſis cœnobii clavum laudabiliter multos annos tenuiſſet, totius Provinciæ gubernaculum ei committere Patres voluerunt. Quanto cum honore & commodo id muneris obiverit, nulla poſteritatem inobſcurabit oblivio: ut, qui politiorum litterarum gymnaſium in principe urbe Bruxellæ aperuerit; cujus deinde optimi exempli gloria ad alios pleroſque conventus permanavit. Quo uno habere meruit encomiaſten Nicaſium Baxium. Sed omni laudatione major fuit vis eloquentiæ, quâ in ampliſsimis præclariſsimiſq̃ue totius Belgii templis fulgurire & tonare viſus, dixit ad populum quadraginta totis Adventibus, ut loquuntur, & Quadrageſimis. Vt mirum ſit hominem unum tot muniis ſatis potuiſſe facere. Nam præter Prioralem ſolicitudinem, fabricæ & œconomiæ cura illi incubuit: quibus ſi concionandi neceſsitatem addideris, quid erit, niſi gigantem etiam hominem velle opprimere? Nihilo tamen minùs, cùm eſſet religioſæ diſciplinæ obſervantiſsimus tenaciſsimuſq̃ue, in choro & communi triclinio aſsiduus, præſens & præſidens iis exercitiis aderat, quibus novitiam juventutem præpoſitus magiſter imbuebat.

buebat. Vin' plura ? Reos & capitis damnatos ad alteram vitam disponere, ad supplicii theatrum comitari, salutis eis curam inculcare, animare, excitare continuis adhortamentis, pro cibo illi erat: ut dubites, humilitate an caritate magis excelluerit. Accedebat oris majestas & morum gravitas, ut magnates eum pro Antistite quasi suo venerarentur; comitas deinde & lenitatis cujusdam mira gratia, ut infimates eum ceu communem Patrem amarent. Hæ porrò tam claræ virtutes COOLSIVM ad supremum Iudicem, urgente fato, abeuntem secutæ sunt VIII. Kal. Februarii an. ∞. IↃC. XII. ætatis suæ LXIII. climacterico, viris ut plurimùm magnis exitiali. Cadaver triduo expositum, effusæ ad spectaculum totius civitatis lacrymas excivit. Non minori frequentiâ solenniter ei justa persoluta: à quibus nemo abfuit, qui de vulgi fæce non esset. Oratio funebris non dicta, sed singultibus interrumpentibus quasi excussa est: tantum sui desiderium vir bonus apud omnes bonos reliquerat.

P. NICA-

P. NICASI BAXI
ORATIO
In laudem R. P. IOANNIS COOLSII Auguſtiniani.

SI quidem R. P. IOANNEM COOLSIVM etiammum in vivis haberemus, Auditores, non magna facultas eum laudandi nobis eſſet, cùm propter ſingularem ipſius modeſtiam, quâ prædicationes ejuſmodi non admitteret; tum etiam ne quid aſſentationis causâ dicere videremur. Verùm cùm apud nos eſſe deſierit, Literisque ſacris admoneamur à vitæ termino laudes ordiri, res ab eo præclarè geſtas commemorabimus: haud omnes tamen, ne earum copiâ, quod uſu venit, ſteriles, ac inopes reddamur; ſed in paucis, illud præcipuè laudabimus, quod cùm eſſet inſtituti Auguſtiniani defenſor acer, & propagator induſtrius, ſcholas bonarum artium ſuis aperuerit; quibus & Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem augeret, & Auguſtinianæ familiæ plurimùm commodaret. Quæ res ſi à nobis paullo fuſiùs explicabitur, ejuſque fructus palàm oſtendentur, exiſtimate fieri propterea, ut tantò major gloria poſſit in hunc egregium virum redundare. Ea ferè ratio Catholicæ pietatis eſt, Auditores, ut ii qui hoc tempore eam reſtaurare conantur, à pueris initia faciant. Nam eorum hominum qui jam adole-

vere,

vere, mores pravi, vel non ita facilè corrigantur, vel non ita lubenter eorum emendatione cupit optimus quisque distineri. Et quidem si de privatis colloquiis agatur, quotusquisque eorum, qui jam sunt ætate corroboratâ, præceptorem ferat, à quo de suis vitiis admoneatur? aut rursum, quàm multi reperientur, qui se verecundiâ dicent impediri, quò minùs audeant viros quoslibet peccantes arguere, atque ad rectam viam traducere? sanè in concionibus, tametsi fructus existere frequentes constat, sunt non pauci, qui dicentis eloquentiâ delectati, quæ præclarè dicta fuerunt à concionatore, & ipsi eleganter postmodùm referunt: cetera quæ in vitia graviter, ac minaciter dici audivêre, non sibi, sed aliis applicant, in eodem luto semper hærentes. Non ea puerorum est conditio, qui tanquam virga tenera in omnem partem flectuntur, ac exiguo tempore virtutibus assuefiunt, nondum vitiis propter ætatem imbuti. Id quum animadverteret, vir judicio singulari, primùm Bruxellæ scholas Augustinianas, seu archipalæstram quandam literariam instituit, ut exemplo civitatis tam inclytæ plures alias ad imitandum provocaret. Quæ sanè spes eum non fefellit; nam brevi pòst tempore Antverpiæ, Gandavi, Lovanii, Herendalii, Diesti, Hoiæ, Boviniaci, Thenis, Ipris Flandrorum, atque adeò Casali in ipsâmet Italiâ bonarum artium proprio solo literas nostri docere cœperunt: &, nisi me conjectura fallit, pluribus in civitatibus, adeóque Provinciis eandem facient Theologiæ præstructionem. Verùm roget aliquis,

quod ſit iſtud tantum momentum in ludis literariis, ad id, quod initio diximus, Catholicam pietatem reſtituendum? Alios equidem vobis, Auditores, optarem ea recenſere, quæ ad laudem noſtram attinent; tamen quia præſens tempus ſic exigit, rationem inſtituti noſtri paucis aperiam. Ac in primis hoc maneat, caput omnis eruditionis eſſe, ad actiones Chriſtiano homine dignas puerorum animos efformare; quod quidem hîc fieri manifeſtum eſt: nam & crebræ ſunt in ſcholis virtutum exercitationes, & uſus ipſe quotidianus cum Aſcetis verſandi, puerorum moribus affricat utile quidpiam, ac ſalutare. Non dico rudem ætatulam percommodè doceri ab iis, quibus abundè tempus ſuppetit, quíque vitam cœlibem, & ab omni ſtrepitu domeſticarum curarum ſemotam exigunt. Profectò non ita liberos exiſtimem homines eos eſſe, quos uxoria impedimenta, liberíque circumſtant, quos eoſdem familiæ curæ diſtinent, & procurandi victûs neceſsitas inquietat, quibus omnibus vitæ tricis hi noſtri Aſcetæ ſunt expediti. Atqui non deſunt homines alii, ſimiliter & ipſi conſecrati Deo, qui hanc provinciam litterariam ſummâ cum laude ſuſtinent. Hos ego quidem, uti non poſſum non vehementer probare, ſic infitiari haud debeo, tum hos eoſdem, tum nos ipſos quoque rebuspublicis valde prodeſſe. Expedit enim in unâ civitate, præſertim magnâ, ac populosâ, ſcholas plures eſſe; quod tametſi non omnibus probatur, uſu tamen & experientiâ plurimum utilitatis adferre conſtat. Quin etiam, ut dicebat ille, Turpe

eſt

est tacere Aristotelem, & Isocratem loqui, nobis in parte debeat applicari, quippe fuit olim mos iste docendi in monasteriis usurpatus, imò etiam viri graves inter minutum istum, ac balbutientem gregem considere non erubuerunt. In his fuit Cassiodorus Romanus singulari præditus nobilitate, tradendis elementis occupari solitus; itemque Lupus Abbas, & Benedictina familia, nec non plures Deo sacræ sodalitates, quæ pueris erudiendis aliquando vacarunt. Quapropter ita sentio, Auditores, R.^do Patri COOLSIO *pro scholis quas instituit, seu potiùs restauravit (fuit enim olim Monachis id proprium docendi munus) cæteros quidem homines gratias permagnas, suos autem maximas debere. Atque utinam viventi easdem agere possemus: tametsi non dubito, qui piè functorum sensus est à morte, ipsum pulcherrimi facti sui memoriâ incredibiliter oblectari. Sed hactenus de scholis per eundem apertis: nunc de viri admirabili facundiâ, deque singulari modo familiam gubernándi pauca accipite: tam enim in utroq; genere R.P.* COOLSIVS *excelluit, ut addubitem præstantiórne concionator, an cœnobiarcha debeat haberi. Et quidem in templis ad populum verba facere est solitus eâ commendatione auditorum, ita ut cum paucis debuerit conferri. Testis est Flandrorum civitas ipsa primaria, testis Antverpia, testis Bruxella, quibus in locis viget atque vigebit ipsius eloquentiæ memoria sempiterna. Et sanè, quæ Christiano sunt oratori necessaria, abundè in hoc viro fuisse constat. Nam inprimis fuit eâ dignitate, &*

conformatione totius oris, ac corporis, eâ proceritate, iis viribus, iis lateribus, ac vocis præstantiâ, quæ ad bonam actionem requiruntur. Verborum autem ejus tantus splendor fuit, tanta copia, tantusque delectus, uti Ciceronem Flandrum complures homines eundem appellaverint. Etiam in affectibus movendis præcipuus semper fuit, & ad quemcunque animi motum facillimè potuit auditores impellere. At ejusce gubernationis modus non minorem laudem, imò vel maximam habet; siquidem annos plurimos Augustiniano Conventui Gandæ præfuit, & idem aliquando totius provinciæ Belgicæ gubernacula rexit eâ moderatione, ac prudentiâ, ut suis quidem valde gratus, civibus autem non minùs acceptus esset. Quæ profectò virtus est hominum paucorum; maximeque ei necessaria, qui multitudinis alicujus diversis è nationibus collectæ præfecturam habet. ad eam enim regendam, nec sola vis ingenii, nec annis multis parta auctoritas, nec singularis quædam vis eloquentiæ tantum valet, quantum facultas illa quibusdam hominibus insita, atque innata, quæ quidem proprio vocabulo difficulter exprimi potest: quâ eâdem facultate qui sunt præditi, influunt in animos subditorum, ut & hi imperata libenter faciant, nolintque non à talibus gubernari.

Possem equidem, Auditores, in R.^di Patris COOLSII *laudem plurima huc adferre, deque rebus ab eo cum gloriâ gestis orationem prolixam facere: sed quia nostrorum Patrum malo parcus esse laudator, pauca tantùm commemoravi, atque*

atque id potiſſimùm, quod auctor Scholarum ſuis ipſe inprimis extiterit. Nec enim ingrato ſilentio res ea præteriri debuit, unde tanta commoda percipit, utque conjicio, percipiet Chriſtiana reſpublica: neque nos apud poſteros negligentiæ notam effugere potuiſſemus, ſi de Scholarum noſtrarum origine, progreſſuque nihil monimentis literarum tradidiſſemus. Quare univerſam poſteritatem, ac vos omnes inprimis rogo, & obteſtor, ut de R. P. IOANNE COOLSIO, magnificè atque honorificè, ut facitis, ſentiatis, eundemq; quoties animis veſtris præſentem ſtatuetis, toties ejus divinam eloquentiam, toties gubernandi ſummam facultatem, toties utilitates eas quæ de Scholis proficiſcuntur, memoriâ veſtrâ recolatis. Ego ſanè, quoad in me fuit, ejuſce famam ab interitu vindicare; nomenque viri tam ſingularis immortalitati commendare ſum conatus.

PETRVS VALDERAMA *Hiſpalenſis Ord. Erem. S. Aug.,*
Prior Prouincialis, concionatorum ſuo ſæculo princeps. Concion.
eius conuerſæ in Gallicum, cæteraque opera præclare ſcripta
Authoris ſui encomium prædicant.

PETRVS VALDERAMA.

PETRVS VALDERAMA, Hiſpali provinciæ Bœticæ urbe clariſsimâ natus ex nobili familiâ, religionem Auguſtinianam maximè illuſtravit: in quâ ſummam apud ſuos præfecturam adeptus, induſtriæ ſuæ præclara & multa poſteris exempla reliquit. Caſas Eremitarum vetuſtate collapſas, aut jam lapſabundas inſtauravit, excitavit nova à fundamentis ædificia, eaque ſic inſtruxit, ut commodè in iis habitare, & ſine curâ craſtini vivere Fratribus liceret. Eam verò eloquentiæ famam apud omnes obtinuit, ut Eccleſiaſtarum ſuo ſæculo Princeps haberetur, & eſſet. Erat enim in illo præter inſignem oris facundiam, excellens ingenium, ſingularis deinde prudentia multo rerum uſu conſtituta: quæ omnia adhuc ſpirant editæ ab eo conciones, quas ex Hiſpano in Gallicum idioma, A. Simeon ex Ordine Prædicatorum Sacrę Theologię Doctor Pariſinus, & G. Chappuys Regis Chriſtianiſsimi Inter-

F636
C827v

03-20

terpres, tranſtulerunt. Obiit Hiſpali ∞. IↃC. XI. VII. Kalendas Octobris.

Eloquentiæ ſuæ teſtes libros reliquit

Tomos duos in feſta totius anni.
Tomos duos in totam Quadrageſimam.
Conciones in Dominicam quinquageſimæ, ſexageſimæ, & ſeptuageſimæ.
Volumen unicum in octavam S. Sacramenti.
Mariale duobus tomis comprehenſum.
Orationem in beatificatione B. Ignatii Loyolæ.
Theatrum omnium Religionum. Impreſſum Hiſpali anno 1612. & Barcinone an. 1615.

FINIS.

38837